



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**


### **Theologia Moralis**

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1713**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42521**



Ex legato P. J. Dni defuncti  
Avunculi mei dilectissimi  
W. Kvaling pastoris in  
Winterberg, Beneficiarii  
Cathedralis et Collegiatis in  
Dustorf Paderborne Ecclesiarum  
et Commentarii per  
Lincol ad me J. F. Bernites  
vicarium curatum in Obern  
Sulzborn.  
Mors in Niederfeld.



Ca  
A  
V  
21  
Ca  
B  
ru  
Li  
v  
Lu

T

A

R

R  
eju

Ap

Cw

# THEOLOGIA MORALIS

ANTEHAC EX PROBATAIS

Auctoribus breviter concinnata

à

R. P. HERM. BUSENBAUM

Societatis JESU, SS. Theologiæ

Licentiato;

*Nunc pluribus partibus aucta*

à

R. P. CLAUDIO LA CROIX

ejusdem Societatis JESU, SS. Theologiæ

in Universitate Coloniensi Doctore

& Professore publico.

TOMULUS V.

EDITIO ALTERA CORRECTIOR.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud SERVATIUM NOETHEN

Bibliopolam, an der hoher Schmidt.


Cum Privilegio Sacre Casareæ Majestatis Speciali,

et Superiorum permisso. Anno 1713.

Handwritten text in a narrow column on the left edge of the page, likely bleed-through from the reverse side. The text is written in a cursive script and includes the following characters: *Ca*, *2*, *Ca*, *B*, *ru*, *Lu*, *v*, *Lu*.

W 65 P

Fragment of text from the adjacent page on the right, showing the right edge of the page with the following characters: *f*, *J*, *A*, *B*, *ru*, *P*, *S*, *ru*, *p*, *d*, *f*, *ru*, *h*, *C*, *d*, *M*, *ru*, *B*, *ru*, *C*, *U*, *&*, *m*.



ORDINARIUM  
PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

**C**um olim à Sacris Cæsareis Majestatibus Rudol-  
pho II. Matthia, Ferdinando III. Leopoldo I.  
felicissima memoria, & Sacra Cæsarea Majestate  
Josepho nunc gloriosissime regnante, diplomate edito  
Anno 1705. die 12. Decembris omnibus Typographis,  
Bibliopolis, & aliis librariam negotiationem exercen-  
tibus inhibitus sit, ne quis Libros, Scripta, & Icones à  
P.P. Societatis JESU edita, sine Superiorum ejusdem  
Societatis licentia, intra S. Romani imperii ac Regno-  
rum & Dominiorum suorum fines, sive in tota, sive in  
parte recudere, in aliam linguam convertere, vel recu-  
dendos aliò mittere, aut alibi impressos adducere ac di-  
strahere audeat aut præsumat, sub multa 20. marca-  
rum auri puri Fisco Imperiali pendenda, Concedo ego jus  
hujus Cæsarei Privilegii **SERVATIO NOETHEN**  
Civi ac Bibliopola Colonienfi ad decem annos usurpan-  
di, ac excudendi librum, cui titulus: Theologia  
Moralis, antehac ex probatis Auctoribus brevi-  
ter concinnata à R. P. HERMANNO BUSEN-  
BAUM Societatis JESU, SS. Theologiae Licen-  
tiate; nunc pluribus partibus aucta à R. P.  
CLAUDIO LA CROIX ejusdem Societatis in  
Universitate Colonienfi SS. Theologiae Doctore  
& Professore publico. In cujus rei fidem hoc ei testi-  
monium manu meâ & officii sigillo munitum dedi.

Colonia die 24. Februarii Anno 1707.

(L. S.)

JOANNES DIRCKINK

S. J. m. pp.

\* 2





## A P P R O B A T I O

R. P. Provincialis.

**E**go *infrascriptus Societatis JESU in Provincia Rhēni Inferioris Præpositus Provincialis, potestate ad id mihi factâ ab Adm. R. P. nostro Angelo Michæle Tamburino Præposito Generali, librum, cui titulus est, Theologia Moralis, antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata à R. P. HERMANNO BUSENBAUM Societatis JESU, SS. Theologiæ Licentiato; nunc pluribus partibus aucta à R. P. CLAUDIO LA CROIX ejusdem Societatis in Universitate Colonienſi SS. Theologiæ Doctore & Professore publico, à deputatis ad id Societatis ejusdem Patribus lectum & approbatum, typis mandaripermitto. In cujus rei fidem has litteras manu propriâ subscriptas & officii sigillo munitas dedi. Colonia 24. Februarii Anno 1707.*

(L. S.)

JOANNES DIRCKINCK  
S. J. m. pp.



## SPECIALI

### PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

**J**OSEPHUS Divinâ favente Cle-  
mentiâ Electus Romanorum Impe-  
rator semper Augustus, ac Germa-  
niæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ,  
Croatia, Sclavoniæ &c. Rex, Archi-  
dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ,  
Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ,  
Comes Tyrolis. Agnoscimus & notum  
facimus, tenore præsentium, universis;  
quòd cum nobis noster & sacri Imperii  
fidelis dilectus SERVATIUS NOETHEN  
Bibliopola Colonienfis humillimè ex-  
posuerit à P. P. Societatis JESU, Pro-  
vinciæ Rhenanæ inferioris sibi factam  
esse potestatem typis excudendi librum  
in omni forma, cui titulus est, *Theologia  
moralis antehac ex probatis auctoribus bre-  
viter concinnata à P. HERMANNO BY-  
SENBAVM Societatis JESU, S. S. te Theo-  
logiæ Licentiato, nunc pluribus partibus au-  
cta à P. CLAVDIO LA CROIX ejusdem*  
\* 3 *Societatis*

*Societatis in universitate Coloniensi S. S. tæ  
Theologia Doctore & Professore publico;*  
vereri autem, ne, quòd sæpius contin-  
gat, amulorum fraude, qui editionem  
istam imitentur, impendii sui fructu de-  
stituantur, ac propterea supplicaverit, ut  
sibi contra eiusmodi fraudes privilegio  
nostro Cæsareo, ad decem annos pro-  
spicere dignaremur: Nos submissæ huic  
petitioni benignè annuerimus, ac proin-  
de omnibus & singulis Typographis, Bi-  
bliopolis & Bibliopegis aliisque quibus-  
cunque librariam negotiationem exer-  
centibus firmiter, seriòque inhibueri-  
mus & vetamus, ne quis dictum librum  
per decennium, ab hodierno die com-  
putandum, in Sacro Romano Imperio,  
Regnorumque & Provinciarum No-  
strarum hæreditariarum finibus; sub  
quocunque prætextu, sive in toto, sive in  
parte, mutatisve titulis recudere, vel aliò  
recudendum dare, alibi impressum ap-  
portare, vendere, vel distrahere clam vel  
palàm absque ipsius SERVATII NOETHEN  
expressio, & in scriptis obtento consensu  
præsumat, si quis verò secus faciendo,  
privilegium & interdictum hoc Nostrum  
Cæsareum violare aut transgredi ausus  
fuerit, eum non modò eiusmodi libris,  
per-

perperam quippe recusis & adductis  
( quos quidem Præfatus supplicans ubi-  
cunque deprehensos sive propriâ autho-  
ritate, sive Magistratûs auxilio sibi ven-  
dicare poterit ) de facto privandum, sed  
& pœnâ insuper sex marcarum auri puri  
fisco Nostro & fraudis vindici & prædi-  
cto supplicanti ex æquo pendendarum,  
omni spe veniæ sublatâ decernimus  
mulctandum, dummodo tamen hujus  
privilegii Nostri Cæsarei tenorem pro  
publica notitia, atque cautela in fronte  
expressum adhibeat, & ejusmodi quinque  
exemplaria ad Cancellariam Nostram  
Imperialem Aulicam sumptibus impe-  
trantis transmittantur. Mandamus pro-  
inde universis & singulis Nostri & Sacri  
Imperii, Regnorûmque & Provincia-  
rum Nostrarum hæreditariarum Subdi-  
tis, cujuscunque statûs, gradûs, ordinis,  
dignitatis, conditionis, aut præeminen-  
tiæ existant, tam Ecclesiasticis quàm Sæ-  
cularibus, præsertim iis, qui in Magistra-  
tu Constituti, vel proprio vel Superio-  
rum suorum Nominè vel loco, Juris &  
Justitiæ Administrationem exercent, ne  
quenquam privilegium hoc Nostri  
Cæsareum temerè & impunè transgredi  
aut violare patiantur, quin potiùs con-

tumaces, si quos compererint, præscri-  
ptâ pœnâ plecti, aliisque modis idoneis  
coërceri curent, quatenus & ipsi eandem  
multam evitare voluerint. Harum te-  
stimonio literarum manu Nostrâ subscri-  
ptarum, & sigilli nostri Cæsarei appres-  
sione munitarum, quæ dabantur in Civi-  
tate nostra Viennæ decimâ quartâ die  
Martii, Anno Millesimo septingentesi-  
mo octavo, Regnorum Nostrorum,  
Romani decimo nono, Hungarici vige-  
simo primo, Bohemici verò tertio.

(L.S.)

JOSEPHUS

m. p.

Vt. Fredlar.  
Com. de Schönborn  
m. p.

Ad mandatum Sacræ Cæsareæ  
Majestatis proprium.  
Lutzo Dolberg  
m. p.

INDEX

# INDEX

Tractatum, Caputum, Dubiorum,  
Quæstionum, quæ sunt in Libro V.

*Numeri hic, designant paginam.*

## LIBER V.

*De ratione cognoscendi & discernendi  
peccata.*

### CAPUT I.

*De peccato in genere.*

#### DUBIUM I.

*Quid sit peccatum.*

Pag. 1.

- Q**uæstio 1. Quænam sint præcipuæ divisio-  
nes peccati. 3.
- Q.** 2. Quomodo aliter definiiri possit & dividi  
peccatum. 7.
- Q.** 3. An omnis actio hominis non amantis  
Deum aut adhuc in infidelitate constituti de-  
beat dici peccatum. 8.
- Q.** 4. Qualis libertas requiratur ad peccatum  
internum. 8.
- Q.** 5. An ad peccatum requiratur advertentia  
ad legem Dei & ad malitiam objecti. 9.
- Q.** 6. An cognitio legis divinæ vel malitiæ  
prout Deo displicentis ita prærequiratur ad  
peccatum, ut si daretur ignorantia invincibi-  
lis Dei, hæc excusaret à peccato formali con-  
tra Deum. 20.
- Q.** 7. Per quid peccatum internum dicatur  
compleri in ratione peccati externi. 23.
- \* 5      **Q.** 8.

*Index Tractatum &c. & Questionum.*

- Q. 8. An effectus mali ex peccato sequentes di-  
cendi sint esse peccata. 25.
- Q. 9. An effectus mali ex peccato sequentes sint  
saltem moraliter, vel ad culpam imputabiles. 35.
- Q. 10. An illa, quæ inadvertenter fiunt ex con-  
suetudine peccaminosa, sint peccata. 39.
- Q. 11. Quænam, etiam indeliberatè facta, cen-  
seantur retinere malitiam objectivam, &  
quænam objecta censeantur intrinsecè mala. 39.
- Q. 12. Quid dicendum sit de peccato Philoso-  
phico. 43.
- Q. 13. Quis possit peccare. 54.
- Q. 14. Per quas potentias committi possit pec-  
catum. 55.
- Q. 15. An peccari possit in somno. 58.

DUBIUM II.

*An & quando desideria & delectationes sint peccata.*

ARTICULUS I.

*Quale peccatum sit desiderium malum.* 60.

Q. 16. An concupiscentia sit peccatum  
vel causa peccati. 63.

ARTICULUS II.

*An delectatio morosa semper sit peccatum.* 78.

Q. 17. Quid præterea notandum sit cir-  
ca delectationem morosam. 82.

Q. 18.

*Index Tractatum Sc. & Questionum.*

- Q. 18. Quid specialiter addendum sit circa delectationem turpem. 96.  
Q. 19. An delectatio turpis possit ex parvitate materiz esse peccatum veniale tantum. 100.  
Q. 20. An omnis cogitatio voluntaria de objecto turpi sit illicita. 103.  
Q. 21. Quid addendum sit circa illum, qui se habet negativè circa delectationem morosam, maximè veneream, ita ut nec consentiat nec positivè resistat, sed quasi permittat. 103.

DUBIUM III.

*De distinctione peccatorum.*

ARTICULUS I.

*Quæ peccata distinguantur specie.* 107.

- Q. 22. An omnia peccata sint æqualia. 108.  
Q. 23. Unde desumatur inæqualitas peccatorum. 109.  
Q. 24. Quid præterea circa distinctionem specificam peccatorum sit addendum. 113.  
Q. 25. Quandonam leges censeantur ita diversæ, ut aliam specie malitiam in actum refundant. 126.  
Q. 26. Quid hinc præterea sit notandum circa distinctionem specificam peccatorum commissionis & omissionis. 132.

ARTICULUS II.

*Quæ peccata distinguantur numero.* 139.

- Q. 17. Quandonam actus physicè unus sit unum vel multiplex numero peccatum. 140.  
Q. 28.



*Index Tractatum Sc. & Questionum.*

- Q. 28. Quandonam actus physicè plures sint  
unum vel multiplex numero peccatum. 155.  
Q. 29. Quid addendum fit circa multiplicatio-  
nem numericam peccati propter interruptio-  
nem & repetitionem actuum. 160.  
Q. 30. Quandonam peccatum omissionis nu-  
mero multiplicetur. 165.

C A P U T II.

*De peccatis in specie, mortali & veniali.* 168.

- Q. 31. An dentur peccata aliqua de se  
mortalia, alia de se venialia. 170.  
Q. 32. Quznam peccata de se fiat mortalia, &  
quznam venialia. 184.  
Q. 33. Per quid differant peccatum mortale &  
veniale. 193.  
Q. 34. An & quale peccatum fit non referre o-  
mnes suas actiones ad Deum. 196.  
Q. 35. An & quale fit peccatum non obsequi in-  
spirationibus divinis, aut contra illas admit-  
tere imperfectiones. 198.  
Q. 36. An & quale fit peccatum, si Religiosus  
Regulas sui Ordinis non observet. 200.

D U B I U M II.

*Quibus ex causis peccatum ex genere suo mortale fiat  
per accidens veniale.* 201.

- Q. 37. Quid præterea notandum fit cir-  
ca defectum perfectæ advertentiæ vel per-  
fecti consensûs. 204.  
Q. 38. Quid judicari debeat in dubio de plena  
advertentiâ vel de pleno consensu. 210.  
Q. 39

*Index Tractatum Sc. & Quaestionum.*

- Q. 39. Quomodo peccet, advertens actionem suam esse peccatum, sed non cogitans, an sit mortale an veniale. 212.
- Q. 40. Quomodo peccet, advertens actionem suam esse mortale, sed abstrahens quale & cuius speciei sit. 212.
- Q. 41. Quomodo peccet, qui deliberat, an velit in mortale consentire. 212.
- Q. 42. Quandonam mortale fiat veniale defectu materiz. 213.
- Q. 43. An ex aliis etiam causis possit peccatum mortale fieri veniale. 216.

DUBIUM III.

*Quibus modis peccatum ex genere suo veniale, aut actus indifferens transeat per accidens in mortale.* 236.

- Quæst. 44. Quid præterea notandum sit circa contemptum. 210.
- Q. 45. Quid addendum sit circa obligationem vitandi pericula & occasiones peccandi. 218.
- Q. 46. An veniale aliquando fiat mortale ratione numeri. 248.
- Q. 47. Quomodo veniale possit præterea fieri mortale. 255.

CAPUT III.

*De peccatis Capitalibus in specie.*

DUBIUM I.

*Quid sit superbia.*

- Quæst. 48. Quid præterea sit hinc notandum. 260.

DUBIUM

DUBIUM II.

*Quid avaritia.* 260.

DUBIUM III.

*Quid luxuria.* 265.

**Q**uest. 49. *Quid sit præterea notandum  
circa luxuriam.* 266.

DUBIUM IV.

*Quid invidia.* 266.

**Q**uest. 50. *Quid circa invidiam sit præterea  
notandum.* 268.

DUBIUM V.

*De gula.*

ARTICULUS I.

*Quid sit gula.* 270.

**Q**uest. 51. *Quid præterea notandum sit  
circa gulam.* 271.

**Q.** 52. *An comedere sine necessitate pertineat ad  
vitium gulae.* 271.

**Q.** 53. *An sit licitum intendere delectationem,  
quæ capitur ex cibo & potu moderato.* 273.

ARTICULUS II.

*Quid sit ebrietas.* 279.

**Q**uest. 54. *Quid circa ebrietatem & pota-  
tiones sit præterea addendum.* 281.

DUBIUM VI.

*Quid sit ira.* 294.

DUBIUM VII.

*Quid sit aecidia.* 297.

LIBER

LIBER QUINTUS.

De ratione cognoscendi & discernendi peccata.

CAPUT I.

De peccato in genere.

DUBIUM I.

Quid sit peccatum.

**R**espondeo, Est transgressio legis, sive, ut  
ait Tolet. est voluntarius recessus à regula  
divina: per quem regulam intelligitur  
præceptum, tam naturale & humanum, quàm  
divinum: per recessum, intelligitur actus, (vel  
ejus ommissio) qui sit non tantum voluntarius,  
sed etiam liber, cum aliqua actuali advertentia  
malitiæ: Quod addo, quia ut docet Sanchez. 1.  
mor. c. 16. cum Vasq. Bon. d. 2. q. 2. p. 3. n. 3. &  
12. Sc. non sufficit ad actum peccaminosum li-  
bertas & advertentia quævis virtualis, vel in-  
terpretativa, quâ scilicet quis advertere pote-  
rat, & debebat; nec quæcunque actualis, quâ  
scilicet intellectus rationes commodi & incom-  
modi in objecto attendat: sed requiritur, ut ad-  
vertat moralem malitiam objecti, aut saltem  
de ea dubium, vel scrupulum concipiat. Ratio  
est, tum quia sine ista advertentia, non est vo-  
luntarium, cum non sit cognitum; tum quia,  
quamdiu talis cogitatio intellectui non occur-  
rit, non est sufficiens principium deliberandi  
de malitia, ideoque nec libertas, ac proinde  
nec culpa; & censetur illa inadvertentia natura-  
lis & invincibilis oblivio. Addit tamen Tann. d.

Tom. V.

A

4. de

4. de pecc. d. 5. q. 5. dub. 5. n. 106. non esse necesse, ut  
 consideratio illa maneat actu, dum peccatum  
 durat: sed satis esse, ut vel actu, vel virtute  
 maneat, ita ut cum ea, vel actus peccati fuerit  
 inchoatus, vel saltem causa data, ut fit in ebrio,  
 qui peccat, non vi presentis, sed prateritæ de-  
 liberationis. V. Baldel. l. 1. d. 36. Verum recen-  
 tiores communiter docent, talem v. g. ebrium  
 non peccare formaliter, quando usu rationis  
 caret, sed malitiam eorum, quæ tunc sunt,  
 contraxisse antè, dum prævidens malum, quod  
 commissurus erat, ejus causam dedit: ajunt-  
 que dum quis actu peccat, semper esse ac ma-  
 nere advertentiam aliquam malitiæ tenuem,  
 vel confusam, ut v. apud Schol. nam in ordine  
 ad praxim, parùm refert, utrolibet modo lo-  
 quaris.

Resp. II. Ad peccatum requiruntur tres con-  
 ditiones, ut patet ex prima responsione. 1. Ut  
 sit voluntarium, id est, ut fiat à voluntate con-  
 sentiente. 2. Ut si liberum, id est, ut sit in po-  
 testate voluntatis facere, vel non. 3. Ut adver-  
 tatur malitia. Ex quibus resolves:

I. Defectu primæ conditionis, nullus actus,  
 qui neque est in, neque à voluntate, est pecca-  
 tum, nisi voluntas eum acceptet: ideoque nec  
 impedit Communionem, siue is sit internus, ut  
 cogitationes contra fidem, blasphemæ, obscæ-  
 næ: motus carnis, etiam usque ad effusionem  
 seminis: siue externus ac violentus, v. g. stu-  
 prum virgini per vim illatum.

II. Defectu secundæ conditionis, subinde à  
 peccato excusantur vehementissimi motus iræ  
 aut concupiscentiæ, quibus usus rationis per-  
 turbatur, & libertas tollitur. III.

III. Defectu tertiz non peccat, qui die jeju-  
nii de præcepto nihil cogitans cœnat, vel car-  
nes comedit, etsi advertat eas sibi delectabiles.  
Item qui lapidem projicit per fenestram, non  
advertens periculum læsionis; vel qui contra-  
ctum usurarium celebrat, non advertens effe-  
ctum. *Sanch. n. 21. Regin. l. 15. n. 75.*

IV. Damna & eventus (licet alioqui frequen-  
tes) ex ebrietate secuti, & nullo modo prævisi,  
inculpabiles sunt; quis nec in se, nec in causis  
sunt liberi. Sunt verò culpabiles, si sint prævisi,  
nec diligentia sufficiens ex præscripto pruden-  
tiæ sit adhibita, ne sequerentur: eâ verò adhibi-  
tâ, etsi postea eveniant, culpâ vacant: Ut etiam,  
quando juxta loci & temporis circumstantias  
non apparet periculum mali, ideoque nulla  
cautela est adhibita, *Vasq. 1. 2. d. 114. c. 2.* Qui-  
bus conformiter *Less. l. 4. c. 3.* docet, si negli-  
gentia, ebrietatem aut eventus ex ea sequi soli-  
tos præcavendi, fuerit tantùm venialis, etiam  
mala, quæ prævideri poterant, tantùm venialia  
fore, quia cum non in se, sed tantùm in causa  
sint libera, non possunt habere majorem cul-  
pam, quàm ipsa causa.

## A D D E N D A.

*Questio 1. Quenam sint præcipuæ divisiones pec-  
cati.*

R. §. 1. Peccatum variè sumitur, nam 1. ali-  
quid dicitur peccatum, vel naturæ, uti claudica-  
tio; vel artis, uti locutio contra regulas Gram-  
maticæ; vel moris, quod propriè dicitur culpa.  
2. Peccatum moris aliquando sumitur pro cau-  
sa vel effectu peccati, ut ad Rom. 7. v. 17. *Quod*

A 2

habitas

*habitat in me peccatum*, id est, fomes peccati seu concupiscentia. Aliquando pro materia, circa quam versatur peccatum, uti Deuter. 9. v. 21. *Peccatum autem vestrum, quod feceratis, id est, vitulum, arripiens igne consumpsi.* Aliquando pro hostia in expiationem peccati, uti 2. ad Corinth. 5. v. 21. dicitur, quod Christus factus sit pro nobis peccatum, id est, hostia pro peccato. Hic agimus de peccato moris sive morali strictè sumpto.

3. §. 2. Varix sunt divisiones peccati; prima est, in spirituale & carnale: Spirituale est, quod immediatè ad animam pertinet, uti superbia, odium; carnale, quod tendit ad inordinatas delectationes corporis, uti luxuria, ebrietas.
4. 2. Contra Deum, proximum, seipsum, intellige specialiter & immediatè, quamvis enim omne peccatum sit contra Deum & contra seipsum, aliqua tamen sunt specialiter contra Deum, uti hæresis, blasphemia, perjurium; alia contra proximum, uti homicidium, furtum, detractio; alia contra seipsum, uti illa, quæ sunt contra temperantiam & fortitudinem.
5. 3. Oris, operis, cordis: Possentque divisio aliter fieri hoc modo, peccatum aliud merè internum, & dicitur cordis; aliud simul externum: simul externum, aliud est oris, aliud operis.
6. 4. Per excessum & per defectum, qualia propriè sunt, quæ opponuntur virtutibus in medio consistentibus, sic liberalitati per excessum opponitur prodigalitas, per defectum avaritia; fortitudinis, temeritas & pusillanimitas: contra aliquas tamen virtutes, v. g. contra Charitatem, propriè loquendo, peccari non potest per excessum, quis non possumus nimium amare Deum:

Deum : potest tamen ea divisio improprie accommodari etiam reliquis virtutibus, si per excessum intelligatur commissio, per defectum omis- sio, & sic odium Dei erit contra Charitatem per excessum; omisio amoris precepti, per defectum.

5. *Commissionis & omissionis*; peccatum com- 70  
missionis est transgressio precepti negativi; om-  
missionis, est transgressio positivi: porro illud  
preceptum dicitur negativum, quod directe &  
primario prohibet aliquid, ideoque finis illius  
ultimatus est omisio aliqua; affirmativum est,  
quod directe & primario imperat aliquid, ideo-  
que finis illius est positio alicujus. Dixi, directe &  
primario, nam preceptum negativum, quale est,  
*non furtum facies*, quamvis directe, primario &  
ultimate tendat in omissionem actionis, qua al-  
terius fortunæ lædantur, tamen etiam indirecte  
& secundario imperat aliquid, nempe restitucio-  
nem alieni, si habeas, sine qua continuaretur  
furtum, & sic indirecte & secundario dici potest  
affirmativum; è contra preceptum affirmati-  
vum, *audies Missam die festivo*, quamvis directe &  
primario tendat in positivam auditionem Missæ,  
tamen etiam indirecte & secundario prohibet  
nolitionem audlendi Missam, & omne illud, pro-  
pter quod omitteretur Missa, v. g. studium, &  
sic quoque dici potest indirecte ac secundario ne-  
gativum: Itaque peccatum commissionis est, li-  
berè ponere aliquid, quod est prohibitum; pec-  
catum omissionis, liberè omittere aliquid, quod  
est imperatum, secundum illud *S. August. de per-  
fect. just. c. 3. Duobus modis constat esse peccatum, si  
aut fiant illa, quæ prohibentur, aut illa non fiant, quæ  
jubentur. Ut autem sciri possit, an preceptum sit*



affirmativum, an negativum, & consequenter an transgressio illius sit commissio an omissio, non est attendendum præcisè ad voces affirmativas vel negativas, sed ad hoc, quod significant, & ad finem præcepti; sic præceptum illud, *certis diebus jejunabis*, est negativum, quia prohibet comestionem repetitam, & carnitum pro tali die &c. Estque etiam hoc discrimen inter præceptum affirmativum & negativum, quòd negativum obligat semper pro semper, affirmativum autem obligat semper, sed non pro semper; sic præceptum jejunandi pridie Paschæ obligat ad abstinendum à secunda refectione & carnibus pro tota die, sed præceptum audiendi Missam die Paschæ non obligat ad audiendam totâ die, sed certâ diei parte. Denique notandum est, quòd peccatum omissionis reducatur ad peccatum commissionis, secundum illud S. Thomæ de veritate q. 1 c. 2 ad 10. *Agere & non agere, cum quis agere debet, ad idem genus actûs reducuntur, secundum quod peccatum omissionis ad peccatum actûs reducitur.*

- 3, 6. In peccatum ex passione, ex ignorantia, ex malitia; & sic sumitur peccatum, prout est à causis homini intrinsicis; si enim attendamus causas extrinsecas, potest homo peccare ex suggestione dæmonis vel alterius hominis. Tum est ex passione, quando fit ex applicatione appetitûs ad bonum sensibile, unde fit, ut ratio minùs consideret malum, & ideo abripiatur voluntas: diciturque peccatum fragilitatis: Tum est ex ignorantia, quando fit defectu rationis culpabiliter nescientis vel non considerantis ea, quæ facile considerari poterant & à peccato retraxissent:

Quamvis

Quamvis autem peccatum omne fit ex malitia, specialiter tamen tum dicitur esse ex malitia, quando committitur cum clara advertentia rationis & plena libertate voluntatis. Peccatum ex passione seu fragilitate vocatur à *S. Bonav.* apud *Herinx* d. 5. n. 66., peccatum in Patrem, quia Patri præcipue attribuitur potentia, quâ homo sic peccans uti non vult; peccatum ex ignorantia, contra Filium, quia Filio attribuitur Sapientia; peccatum ex malitia, contra Spiritum Sanctum, quia Spiritui Sancto attribuitur bonitas, contra quam directe agit, qui ex malitia peccat.

7. In proprium, quod quis ipsemet committit; 9. & alienum, quod ab alio quidem fit, sed mihi imputatur propter iussionem, consilium &c. In rigore tamen hoc, per quod pecco, non est peccatum alienum, sed meum, quo jubeo, consulo &c.

8. In mortale & veniale, de quibus dicemus à n. 10. 183. Item in Originale & personale; actuale & habituale, de quibus divisionibus plura Scholastici. Aliqui etiam dividunt in remissibile & irremissibile, sed probabilius est non posse dari peccatum irremissibile, quia videtur repugnare infinitæ misericordiæ Dei, uti peccatum inodibile repugneret infinitæ perfectioni Bonitatis & Sapientiæ ipsius.

Q. 2. Quomodo aliter definiri possit & dividi peccatum. R. Definiri potest hoc modo: exercitium libertatis contra regulam obligantem ad honestè operandum: Et sic sumptum dividi potest in Philosophicum & Theologicum; Philosophicum est exercitium libertatis contra dictamen naturæ rationalis quâ talis, præsciendendo aa etiam sic

contra legem Dei; Theologicum, est exercitium libertatis contra legem Dei, sive, est dictum vel factum vel concupitum contra legem eternam, uti ex S. Aug. l. 22. contra Faustum c. 27. habet S. Th. 2. 2. q. 71. a. 6. Atque de hoc jam loquemur; postea à n. 49. de Philosophico.

82. Q. 3. An omnis actio hominis non amantis Deum aut adhuc in infidelitate constituti debeat dici peccatum. R. Negative. Ita S. Th. in 2. dist. 40. q. 1. a. 5. & dist. 41. q. 1. a. 2. ad 2. & 3. Item 2. 2. q. 10. a. 4. ad 3., in quibus locis docet infideles & non habentes gratiam posse elicere actus bonos. Probatur, nam Alex. VIII. damnavit has propos. 7. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi; si Dei, Charitas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est. 8. Necessè est infidelem in omni opere peccare. 11. Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operetur, peccatum est. Vide dicta l. 2. n. 132. & dicenda hic à n. 67. & à n. 184.

83. Q. 4. Qualis libertas requiratur ad peccatum internum.

R. §. 1. Non sufficit libertas à coactione, sed requiritur libertas à necessitate, id est, potentia indifferens tum ad ponendum tum ad omittendum actum, hinc damnata est hæc prop. 3. Jansenii, Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

84. §. 2. Etiam non sufficit qualiscumque libertas in causa, sive mediata, sed peccatum debet dependere à propria libertate operantis, hinc Alex. VIII. damnavit hanc 1. prop., In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale & demeritum sufficit illa libertas;

bertas, quã voluntarium ac liberum fuit in causa, peccato Originali & voluntate Adami peccantis. Et quamvis damnatio dicat, ad peccatum mortale, tamen eadem ratio est etiam de peccato veniali, hinc additur, & demeritum, quod etiam veniali convenit. Vide dicta l. 1. n. 743. & dicenda hic n. 74.

Q. 5. An ad peccatum requiratur advertentia ad legem Dei & ad malitiam objecti. R. Hæc questio videri posset otiosa, quia tamen anno 1699. 24. Aug. prodit scriptum hoc titulo, *Ecclesia Leodiensis Summo Pontifici Inn. X. &c. doctrinam Patrum Collegii Anglicani Societatis JESU Leodii denuncians, &c.* ideo autem denunciatur doctrina, quia ad malitiam peccati contrahendam requirit advertentiam ad legem Dei & ad malitiã objecti, necesse erit veritatem illam pluribus stabilire.

§. 1. Supponenda sunt hæc duo. 1. In omni peccato, quod committitur contra legem alterius, reperitur offensa: potest autem offensa esse vel materialis vel etiam formalis; tum est tantum materialis, si operans per suum actum det alteri motivum rationabile alicujus displicentiae, at tamen nesciverit vel non cogitaverit hoc ipsi displiciturum, uti si quis de honore alterius detrahat, nesciens vel non cogitans esse contra honorem, illa imminutio honoris justè displicet illi, qui inhonoratur, quamvis imminuens honorem non sciat vel non cogitet se detrahere. Offensa formalis tum est, si operans per suum actum det alteri motivum rationabile displicentiae, sciens & cogitans ad jus, quod alter habet, ne hoc fiat, & hinc meritò dicitur illum

formaliter offendere. Quod si operans illam alterius displicentiam directè intenderet, esset offensa quæsitæ & formalissima. 2. Certum est, quod à peccato formali excuset ignorantia invincibilis, etiam juris naturæ, uti constat ex dictis l. 1. à n. 735. An autem dari possit ejusmodi ignorantia invincibilis juris naturæ, examinatum est ibidem à n. 720., & satis demonstratum dari posse saltem quoad leges secundarias juris naturæ: quædonam autem ignorantia vel error censetur invincibilis, explicatum est ibidem à n. 743. His suppositis.

16. §. 2. Certum est ad peccatum prærequiri aliquam advertentiam ad legem Dei & ad malitiam objecti; ita doceat omnes communissimè, S. Aug. locis l. 1. n. 736. & 738. relatis: sufficit hinc ex l. 22. contra Faustum Manichæum c. 44., ubi loquens de incestu, quem in ebrietate commisit Loth, ait, quapropter culpandus est quidem, non tamen quantum ille incestus, sed quantum illa mereatur ebrietas. S. Th. etiam locis l. 1. n. 740. relatis; item 1. 2. q. 74 a. 6. toto. Item 2. 2. q. 89. a. 3. ille, qui ex lapsu linguæ falsum jurat, si quidem advertat se jurare & falsum esse, quod jurat, non excusatur à mortali, sicut nec à Dei contemptu; si autem hoc non advertat, non videtur habere intentionem jurandi, & ideo à crimine perjurii excusatur. Item de veritate q. 15. a. 4. ad 10., Dicendum, quod antequam ratio delectationem perpendat vel nocumentum ipsius, non habet interpretativum consensum, etiamsi non resistat. Sequuntur S. Anton. Alb. M. Hsyr. Gers. Cordub. Alens. Angel. Silv. Armil. Conrad. Almain. Angest. Nider, Sor. Palud. Gabr. Cajet. cum Terillo in Reg. q. 63. à n. 6. Sequuntur etiam Isambert. 1. 2. q. 74. d. 5.

d. 5. a. 1. *Garnach.* 1. 1. q. 74. c. 3. col. 2. *Bonæsp.*  
 T. 4. t. 2. d. 1. dub. 7. n. 108. *Jo. a. S. Th.* p. 3. q.  
 84. a. 6. *Suar. Vafq. Sanch.* cum *Carden.* in 1. crisi  
 d. 8. c. 2., qui subdit, cum hi tres DD. in ean-  
 dem sententiam conspirant, mihi sunt adinstar  
 plurium Universitatum. Accedunt *Azor* l. 1. c.  
 16. q. 5. *Gran.* de peccat. contr. 6. t. 5. d. 3. f.  
 1. *Anton. Perez* de peccat. d. 2. c. 5. à n. 15. *Me-*  
*rat.* de pecc. d. 7. f. 15. *Laym.* l. 1. t. 3. c. 5. n. 13.  
*J. Sanch.* d. 19. *Gob.* in *Quin.* t. 5. c. 9. n. 83. alique  
 innumeri ex omni statu, & speciatim omnes n.  
 216. referendi, qui cum ad mortale requirant  
 advertentiam plenam & perfectam, ad omne  
 peccatum requirunt saltem imperfectam: Nihilo-  
 minus oppositæ opinioni, saltem favent *Eliz.*  
 & *Camargo*, qui posterior p. 1. l. 2. contr. 4. à n.  
 527. lamentabiliter deplorat eorum cæcitatem,  
 qui ad formale peccatum requirunt actualem  
 aliquam cognitionem malitiæ. Rationes nostræ  
 sunt, 1. quia nihil est volitum nisi præcognitum,  
 ergo voluntas non potest ferri in malitiam mo-  
 ralem, nisi intellectus aliquo modo præcogno-  
 scat. Neque præcognitio illa est in potestate vo-  
 luntatis, alioquin ad volitionem illius prære-  
 quiretur alia præcognitio, quæ etiam deberet ef-  
 se in potestate voluntatis, & consequenter ite-  
 rum per aliam præcognitionem, sicque in infini-  
 tum. 2. Nemo peccat, quin possit vitare peccatū,  
 ob hanc ipsam rationem, quia peccatum & quia  
 malum est, sed ob eam rationem vitare non po-  
 test, nisi præcognoscat esse peccatum, sive con-  
 tra legem, & esse malum, ergo. *Conf.* nam si ego  
 pecco, quamvis hîc & nunc non habeam ullam  
 cognitionem legis prohibentis vel malitiæ obje-  
 cti.

ſci, ergo pecco, quando mihi impoſſibile eſt vi-  
 tare peccatum, nihil enim habeo, quo movear  
 ad conatum reſiſtendi vel ad voluntatem omit-  
 tendi peccatum, ergo homini juſtificato volenti &  
 conanti ſecundum præſentes, quas habet, vires, ali-  
 quod Dei præceptum eſt impoſſibile; de eſt quoque gra-  
 tia, quã poſſibile ſiat, quæ eſt prop. 1. Jansenii, da-  
 mnata: Et quæ ad hæc reſpondet Eliz. in doct.  
 mor. l. 5. q. 12. §. 2., planè non ſatisfaciunt. 3. Si  
 non prærequireretur cognitio legis & malitiæ  
 objectivæ, ignorantia invincibilis non excuſaret  
 à peccato, ſed excuſat, uti n. 15. dictum eſt; Un-  
 de à contrario ſic argumentor; ſecundum Ad-  
 verſariis, ignorantia legis & malitiæ poteſt dici  
 vincibilis & eſſe culpabilis, quamvis nulla adfue-  
 rit cognitio legis vel malitiæ, ſed quando nulla  
 adfuit cognitio legis vel malitiæ, ignorantia eſt  
 invincibilis, ergo quando ignorantia eſt invin-  
 cibilis, ignorantia poteſt dici vincibilis & eſſe cul-  
 pabilis, quod aperte repugnat. Conf. nam Adver-  
 ſarii, uti fatetur Eliz. §. 9., non poſſunt offende-  
 re, quid plus adſit, quando talis ignorantia eſt  
 vincibilis, quàm quando eſt invincibilis, ſi ad  
 vincibilem nulla prærequiratur cognitio: quam-  
 vis enim dicant nobis dari à Deo ſatis multos  
 impulſus bonos & à conſcientia remorſus, ta-  
 men non dantur nec ſervire poſſunt ad vitan-  
 dum hoc peccatum, niſi à nobis aliquo modo  
 cognoscatur hæc malitia vitanda. Videri poteſt  
 Terſt. à n. 15.

- 17 *Obijciunt.* 1. Multi peccarunt non advertentes  
 malitiam, ſic enim dicitur Sap. 14. v. 16. *Conva-  
 leſcente iniqua conſuetudine hic error tanquam lex cu-  
 ſtoditas eſt: Prop. 14. v. 12. Eſt via, quæ videtur ho-  
 mini*

mini iusta, novissima autem ejus deducunt ad mortem. Danielis 13. v. 9. Senes everterunt sensum suum & declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum. Joan. 16. v. 2. Venit hora, ut omnis, qui interfecit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Paulus Act. 26. v. 9., existimaveram me adversus nomen JESU Nazareni debere multa contraria agere. Qui nesciens peccavit, inquit S. Aug. retract. l. 1. c. 15., quia voluit, fecit, etiamsi, non quia voluit, peccavit, nesciens peccatum esse, quod fecit; ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti non voluntate peccati, quod tamen factum fuit, hoc enim factum est, quod fieri non debuit. Item Epist. 47. Si quis bonum putaverit esse, quod malum est, & fecerit, hoc putando utique peccat. S. Bern. Epist. 77. ad Hug. de S. Vict. ait, si peccatum ignorantie nullum est, non ergo peccavit Saulus, qui persecutus est Ecclesiam Dei, quoniam quidem ignorans hoc fecit, manens in incredulitate &c. Addit, sed & frustra salvator in Cruce pro suis orabat crucifixoribus, quippe nescientibus, ipso teste, quid facerent, & ita nequaquam peccantibus, si enim cognovissent, nunquam Dominum gloria crucifixissent &c. Subdit, nunquid non ex his satis apparet, in quantis jaceat ignorantie tenebris, qui ignorat peccari posse interdum per ignorantiam? R. n. aff. In adductis locis sermo est de errore vel ignorantia vincibili; item de conscientia vincibiliter erronea, quæ à peccato non excusant, sed prærequirunt vel adjunctam habent aliquam cognitionem legis & malitiz. Vide dicta l. 1. n. 744. & dicenda hîc à n. 222.

*Inst.* Zelus Sauli probat, quòd peccavit cum omnimoda ignorantia actuali, sive sine remorsu



su & scrupulo , quando persequeretur Ecclesi-  
am, ita Eliz. q. 11. §. 9. R. n. aff., nam Zelus il-  
le erat cum passione & pertinacia conjunctus ,  
qualem etiam sæpe habent hæretici formales ,  
aut homines invidi persequentes hostes suos ;  
neque ignorare poterat Saulus signa credibilita-  
tis pro Christo , de quibus erant publici sermo-  
nes.

18. *Obji. 1.* Synodus Palæstina hunc Pelagii &  
Celestii errorem damnavit , Oblivio & ignorantia  
non subjacent peccato , quoniam non eveniunt secun-  
dum voluntatem sed secundum necessitatem. R. Solu-  
tionem datam esse l. 1 n. 737.

19. *Obji. 3.* S. Anselm. super illud ad Rom. 1.  
Propter quod tradidit illos, ait, Qui igitur cognoscen-  
tes Deum , non sicut Deum glorificaverunt , ex eo pecca-  
to & causa peccati ad hoc quoque perducti sunt , ut ad  
cultum serpentium & volucrum raperentur , sed qui  
per hanc cecitatem usque ad immunditiam carnis &  
contumelias ceciderunt , ipsa infidelitatis eorum cæci-  
tas precedenti intellectui & peccatum est & pœna pec-  
cati , prioris namque peccati merito subsequentium  
peccatorum fovea legitur , ut qui malum sciens perpe-  
trat , deinceps justè in aliis nesciens cadat. Et infra,  
Sicut ex sua culpa hoc putaverunt , sic ex eadem culpa  
factum est , quod tradidit illos Deus in reprobum sen-  
sum , ut putarent omnia reprobanda esse facienda , &  
cum jam turpia operarentur , nescirent se malum ope-  
rari. S. Isid. apud Eliz. §. 7. ait, ignorantia , quid sit  
dignum culpâ , non sentit ; ignorantia , nec quando de-  
linquit , cognoscit , hinc Augustinus dicebat , eò insana-  
bilius peccabam , quò me peccare nesciebam R. S. An-  
selm. per Tò tradidit , significat Deum in pœnam sub-  
traxisse gratias majores , & permisisse labi in er-  
rores,

rores, ita ut postea vincibiliter errantes aut nescientes, gravius laberentur. S. Isid. & S. Aug. loquuntur de ignorantia culpabili, ex qua pergens peccare redditur ab assuetis quasi insensibilis, nec efficaciter cogitat de malis, quæ peccando sibi accersit.

Obji. 4. S. Th. quod l. 8. a. 13. ait, Illud, quod 20.  
agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur  
per hoc, quod est secundum conscientiam: Et 1. 2. q. 19.  
a. 6. ad 2. Voluntas concordans rationi humanæ non  
semper est recta, nec semper est concordans rationi eter-  
næ: Rationem dat ad 1. Quia ad hoc, ut dicatur ma-  
lum id, in quod fertur voluntas, sufficit, sive quod secun-  
dum suam naturam sit malum, sive quod apprehenda-  
tur ut malum, sed ad hoc, quod sit bonum, requiritur,  
quod utroque modo sit bonum. R. Quod est contra  
legem, semper est materialiter malum, ne tamen  
sit formaliter malum, excusatur per conscien-  
tiam invincibiliter erroneam: similiter quod se-  
cundum suam naturam est malum, semper est  
materialiter malum, quamvis non apprehenda-  
tur, sed non ideo refunditur formalis malitia in  
actum, alioquin ignorantia vel error invincibi-  
lis non excusaret. Vide dicta l. 1. n. 740.

Obji. 5. Si ad peccatum requiritur adverten- 21.  
tia malitiæ, ergo quanto peccator est magis  
corruptus, vel excecatus, vel suis passionibus  
abreptus, tanto minus peccat, quia minus ad-  
vertit malitiam. R. Tanto minus peccat, simpli-  
citer, v. secundum quid, aut illa speciali mali-  
tiâ, quam habet objectum secundum se, c. Cor-  
rupti, excecati, passionati communiter habent  
actus intensiores; item adjunctum quendam  
contemptum Dei aut legis, & hinc aggravatur  
culpa;

culpa; deinde cum inadvertentia malitiae in illis sit vincibilis & culpabilis, simpliciter non excusat; & quoad excucatos, hi directe excludunt inspirationes divinas, ac positive resistunt Spiritui Sancto cum duritia cordis, & hinc quoque sunt minus excusabiles: in quantum tamen illa inadvertentia minuit libertatem, in tantum secundum quid minuit culpam. Quod si supponas adesse absolutam inadvertentiam, ita ut nullo modo cogitetur de malitia huius objecti, quamvis ignorantia vel incogitatio sit culpabilis, opus ex ea sequens non habebit malitiam specialem, nisi precise illius negligentiae vel neglectus sciendi & advertendi, nec erit imputabile ratione sui, sed tantum ratione causae, v. g. si quis hic & nunc absolute, attamen vincibiliter ignoret malitiam mendacii, peccat quidem mentiando, non tamen contrahit malitiam specialem mendacii, sed tantum negligentiae vel neglectus in cognoscenda vel advertenda illa malitia, ignorantia enim absoluta, sive sit vincibilis sive invincibilis, facit aequaliter non cognosci malitiam, ergo etiam non contrahi, cum non sit volibilis, adeoque nec contrahibilis per voluntatem, nisi cognita sit per intellectum: fatendum tamen est corruptos, excucatos & passionatos, ordinarie saltem, retinere cognitionem etiam specialem malitiae sufficientem ad mortale. Videri potest *Teril. de consc. q. 17. à n. 32.*

*Inst. 1.* Est peccatum ejusdem speciei, sive quis sciens, sive ex ignorantia vincibili mentiatur, sed si mentiatur sciens, contrahit malitiam specialem mendacii, ergo etiam si mentiatur ex ignorantia vincibili. *32.* Est ejusdem speciei peccatum,

eatum; nulla supposita cognitione malitiæ mendacii, n, supposita aliqua tali cognitione, c; Et confirmantur hæc ex communi doctrina de conscientia, nam supposito, quod quis aliquid faciat cogitans esse quidem graviter malum, sed in genere tantum, ita ut nullo modo cognoscat, an sit malum hujus an illius speciei, quamvis peccet mortaliter, tamen non contrahit specialem malitiam alicujus determinatæ speciei, non enim est ratio, cur potius contraheret hujus quam illius speciei, cum æqualiter de omnibus non cogitet, contraheret tamen malitiam quasi communem omnibus malitiis, quia procedit cum aliqua comparatione animi & cum æquali periculo ad omnes, quæ hoc tantum sensu dici potest specialis, quod sit specie distincta à malitiis singularium specierum, quarum tamen specialem malitiam non habet, unde in confessione explicari debet hoc vel simili modo, feci aliquid cum apprehensione, quod in genere peccarem graviter. Dixi, si supponas, & ex supposito, quod nullo modo cognoscat malitiam specialem, nam ordinariè sufficienter cognoscitur malitia intrinseca illi objecto, circa quod quis occupatur. Vide dicta l. 1. n. 77. & dicenda hinc n. 228.

*Inst. 2.* Conscientia etiam vincibiliter errans obligat, secundum dicta l. 1. n. 43., sed si mentiens ex ignorantia vincibili haberet cognitionem aliquam malitiæ mendacii, non teneretur mentiri, sed posset suspendere actum ad magis examinandum, ergo. *Conf.* nam secundum omnes, conscientia alia est recta, alia erronea, alia dubia, alia scrupulosa; ergo erronea, nec est dubia;

bia, nec scrupulosa, ergo cum conscientia erronea nec est dubium nec scrupulus, ergo nec cognitio ulla malitiæ. Si dicas esse, saltem apprehensiones malitiæ, *Contrà*, cum his operari non est peccatum, quando enim credimus Trinitatem, sunt apprehensiones contrariæ, quæ nec impediunt fidem nec sunt peccatum, ita *Eliz.* §. 1. & 2. R. Si haberet aliquam cognitionem malitiæ mendacii, quæ sufficeret ad deponendam priorē conscientiam, quæ dicitur esse mentiendum, non teneretur mentiri, e, si haberet cognitionem ad hoc non sufficientem, n. min. & conseq. *Ad Conf.* Ergo cum conscientia erronea nec est dubium nec scrupulus de se sufficiens ad conscientiam erroneam deponendam, e, de se ad hoc insufficientis, attamen sufficiens ad contrahendam malitiā ob antecedentem errorem vincibilem, n. istam seq. & ultimam.

12. *Obji. 6.* Ignorantia & error contra fidem, item actus externi, v. g. adulterii, sunt in se formaliter peccata, quamvis nulla adsit cognitio malitiæ eorum, quia puniuntur à Deo, nihil autem punitur, nisi in se sit formaliter peccatum, ergo. Ita *Eliz.* susè q. 3. §. 3. item q. 4. & q. 7. §. 1. & 2. item q. 13. §. R. n. aff. secundum dicendum 64., puniuntur autem, non ratione sui, sed ratione actus interni, à quo causantur vel impediuntur.

13. *Obji. 7.* Sacerdos peccat peccato Sacrilegii, si desideret fornicari, quamvis expressè non cogitet se esse Sacerdotem, ergo inadvertentiā non excusat. R. n. conseq., quamvis enim id expressè non cogitet, attamen sufficienter & quasi experimentaliter atque exercitè id semper dicitur.

se scit, quia scit, qualis sit, saltem obscure & implicitè, cognoscit enim se esse & non alium, qui talia agit, ignorare autem non potest se esse Sacerdotem, & ideo magis quasi horret illa peccata ac magis timet, quia est Sacerdos, ergo non habet ignorantiam invincibilem sui status nec inadvertentiam sufficientem ad excusandum à peccato. Quòd si supponas eum nullam omnino cognitionem habere sui status, nego contrahi specialem malitiam sacrilegii.

*Obji. 8.* Quando peccatum consequens est 24.  
 poena peccati antecedentis, peccatur per peccatum consequens, licet ab hoc absit formalis libertas, ergo etiam licet absit actualis cognitio. *Probat*ur antec., nam *S. Th.* 1. 2. q. 19. a. 6. ad 3. docet posse aliquem ex suppositione erroris voluntarii esse necessitatum ad peccandum: Idem docent *S. Bonav.*, *Gabr.* & alii, & Ratio est, quia cum suppositio & necessitas illa sit sequens ex voluntate ipsa, non obest libertati actuum ex ea sequentium. *Conf.* nam ideo interna voluntas adulterii est mala, quia externum adulterium est malum, & non contrà, ergo malè dicitur solos actus voluntatis esse propriè peccata, ita *Eliz.* q. 12. §. 4. B. n. antec., ejus prob. dist., *S. Th.* docet posse aliquem esse necessitatum ad peccandum, ita ut formaliter peccet per hoc, quod necessariò fit, n. ita ut formaliter peccet per solam illius necessitatis causam, à qua actus necessarius consequens, tantùm extrinsecè & denominativè dicatur peccatum, c; quidquid enim sine propria & formali libertate sequitur, non est in se formaliter peccatum, sed ad summum denominativè & in causa, uti sæpe dictum est. *Ad*

B 1

Conf. 2

Conf., distinguo, ideo voluntas adulterii est mala, quia extrinsecum adulterium est malum objective, c, quia est malum formaliter, n. ant. & conseq.

25. Q. 6. An cognitio legis divinae, vel malitia pro Deo displicentis ita praequiratur ad peccatum, ut daretur ignorantia invincibilis Dei, haec excusaret peccato formali contra Deum. R. Affirmative: ita communissime Auctores cum S. Th. 1. 2. q. 71. a. 6. ad 5., quod in Cap. 7. ad Rom. lect. 2. iterum innuit his verbis: Dicendum est, quod sine lege poterat quidem peccatum cognosci, secundum quod habet rationem inhonesti, id est, contra rationem existens non autem secundum quod importat offensam Dei. Idem tenent S. Bonav. Alb. M. Alens. Bellov. Ric. Alifiod. cum Cardin. de Lugo de Incarn. d. 5. & n. 74. Item Cardin. Palav. l. 7. c. 10. Remanente Deo penitus ignoto . . . . non cognoscitur ulla obligatio praeferendi bonum alienum bono proprio, aut praeferendi bonum proprium majus bono proprio minori, ex quarum obligationum violatione oritur inhonestas. Cardin. Aguirre T. 1, tr. 1. d. 5. s. 5. Impossibile est peccatum grave seu lethale, quod non sit offensam Dei, nequit autem esse offensam Dei invincibiliter ignorati, quis enim offendere dicatur, quem prorsus ignorat? Cardin. Sfondratus in nodo praedest., editionis Romae pag. 152., Colonienfis, 297. Cum peccatum sit essentialiter offensio & injuria Dei, sublata Dei cognitione necessario sequitur nec injuriam nec peccatum in aeternam poenam esse. Herin x de peccat. d. 5. q. 1. n. 9. Admissio casu talis ignorantiae (qui rarus aut brevis aut nullus est) admitti posset ab futuram a peccati ejusmodi strictè offensam formalem Dei. Mastrius 2. d. 6. de pecc. a. 3. n. 93. In eo casu (ignorantia

invin

invincibilis Dei) omnis actus esset indifferens & ut  
 talis apprehenderetur à ratione, ideoque in genere mo-  
 ris nullum esset peccatum. Naverrete T. 2. controv.  
 Chinesf. tr. 3. contr. 15. pag. 180. n. 7. Sentis  
 admiffâ ignorantia Dei invincibili, qui est prima lex &  
 primus legislator, nullum prorsus committi ab eo pec-  
 catum, qui ejusmodi laborat ignorantia, quia in isto  
 casu neque est averfio à Deo, neque ad creaturam con-  
 verfio, (intellige imputabilis,) licet opus materia-  
 liter ipfi legi repugnet, & in hoc mihi quidem, ut vide-  
 tur, consonat M. F. Greg. Martinez 1. 2. q. 17. a. 6.  
 concl. 3. Ferre de Deo T. 1. tr. 2. q. 1. §. 10. n.  
 262. Peccatum cum ignorantia invincibili veri Dei &  
 inculpabili, non erit offensiva veri Dei, neque enim offen-  
 di potest is, qui invincibiliter ignoratur, neque homi-  
 nem à vero Deo avertet. Gonet de Deo d. 1. a. 3. Si  
 homo invincibiliter ignoraret Deum, nullum ejus pec-  
 catum esset mortale. . . . malitia peccati mortalis pe-  
 titur ex injuria Dei, sed Deus non potest injuriâ affici,  
 nisi cognoscatur, ergo. Similia habet Contensonus de  
 act. hum. Curiel 1. 2. q. 71. a. 6. dub. 3. ad quæ-  
 stionem hanc, si quando contingeret aliquem scire,  
 v. g. furtum esse contra rectam rationem, & ignorare  
 invincibiliter esse contra Deum aut ejus voluntatem vel  
 legem, quia ignorat invincibiliter Deum esse aut offen-  
 di illo actu, ? Respondet, non intelligo, quâ ratione  
 possit aliquis violare legem, quam ignorat invincibili-  
 ter, cum ita se habeat talis lex respectu suæ voluntatis,  
 ac si non efferet. . . . Idem plane habet Zumel 1. 2. q.  
 71. a. 6. pag. 176. Bonæ-spei de incarn. d. 1. dub. 5.  
 R. 3. Peccatum ab eo, qui Deum invincibiliter ignorat,  
 commissum, non esset formaliter offensiva Dei defectu  
 advertentiæ & voluntarii circa Deum. N. 148. dicit  
 atheum recenter ad fidem conversum pruden-



ter interrogandum, an cognoverit suum scelus esse Dei offensam. Idem tenent alii innumeri, ita ut Lugo n. 73. dicat oppositum esse auctoritate destitutum, nec nisi duos aut tres reperiri, qui defendant.

26. Rationes jam ab AA. insinuatæ sunt, nam 1. si lex invincibiliter ignoretur, non peccatur contra legem, uti certum est ex dictis l. 1. à n. 272. ergo similiter si Deus invincibiliter ignoretur, non peccatur contra Deum. 2. Sine cognitione Dei non potest esse inobediencia contra Deum, nec contemptus Dei, quæ prædicata includuntur in omni peccato formali contra Deum.

*Respondent*, virtualiter & interpretativè ag contra Deum, quia agitur contra rectam rationem regulatam à lege æterna, quæ est Deus. *Contra* est, si omnino ignoretur Deus, nulla est cognitio illius regulationis æternæ, aut connexionis, quam recta ratio habeat cum illa lege æterna, ergo non est, nequidem virtualis averse formalis à lege æterna: sed nec interpretativa, uti constat ex S. Th. relato n. 16. & ratio est, qui operans posset sic esse comparatus, ut nollet hoc facere, si nosset legem æternam id prohibentem, ergo. *Conf.* nam qui nollet potionem de se quidem utilem ad sanitatem, sed quam invincibiliter putaret non esse utilem, non posset dici virtualiter aut interpretativè nolle sanitatem, ergo similiter hîc.

Alia, quæ opponi possent, intelligentur e dicendis de peccato Philosophico à n. 49. Quæ nam autem dicantur peccata ignorantie aut inadvertentie, dicetur n. 222. & 224.

Q. 7. Per quid peccatum internum dicatur comple- 27.  
vi in ratione peccati externi.

R. §. 1. Hoc, quod complet peccatum internum in ratione externi, debet dependere ab actu interno actualiter existente, quia quod externe complet, hoc sumptum cum peccato interno est peccatum actuale, atqui nihil potest dici vel denominari peccatum actuale, nisi dependeat ab actu interno actualiter existente, uti probabitur n. 33. Consequenter dicendum est, quod voluntas occidendi compleatur per transfusionem, voluntas comburendi domum per applicationem ignis, voluntas se inebriandi per potationem, voluntas turpiloqui per locutionem turpem, & ita de ceteris; mors autem, consumptio domus, privatio rationis, turpes motus, qui sequuntur ad ista peccata, nec complent nec constituunt illa, sed sunt effectus ad ista consequentes.

§. 2. Peccatum internum non completur in ratione peccati externi per ullos actus vel omissiones necessarias, uti declarabitur eodem n. 33., hinc volitio occidendi non completur per lationem, quam sagitta emissa infligit corpori, sed per ejaculationem sagittæ, quæ est causa lationis; item volitio omittendi Horas non completur per omissionem Horarum sequentem post abjectum Breviarium, sed per abjectionem Breviarii, aut per omissionem tum positam, quando adhuc erat potestas orandi: similiter si quis sciens horam octavam esse unicam Missam, & horam septimam volens omittere, indormiscat usque ad nonam, hoc peccatum omissionis non completur per omissionem, quæ horam octavam contingit

tempore somni, sed per actualem compositionem ad somnum, quæ est causa illius omissionis, ita *Amic. d. 12. à n. 47.*

29. *Objt.* Tum completur peccatum occisionis, quando jaculans reipsa occidit, sed non occidit, nisi alter occidatur, alter autem non occiditur, nisi lædatur & moriatur, ergo ante læsionem & mortem non completur peccatum occisionis. Similiter si ille, qui voluit dormiendo omittere Missam, expergisceretur hora octavâ, & mutata voluntate audiret Missam, non posset dici omisisse Missam, ergo sublata hac solâ omissione peccatum omissionis non est completum: & hæc videtur esse expressa mens *S. Th. 2. 2. q. 79. a. 3. ad 3.*, ubi dicit, *Si quis ob ebrietatem omiserit surgere ad Matutinas, hoc peccatum imputari ad culpam, non quando se inebriavit, vel dedit causam isti omissioni, sed quando reipsa dormit, eo tempore, quo deberet esse in Matutinis. R. cum Compt. d. 102. f. 7. & Dicast. de Pœnit. d. 9. n. 39. dist. antec.*, uterque ille non posset dici occidisse vel omisisse Missam, moraliter & in sensu Theologico, id est, posuisse causam efficacem occisionis & omissionis, ideoque totam illius malitiam contraxisse, n, non posset dici occidisse & omisisse, physicè & in sensu vulgari, c, & hoc tantum est, quod vult *S. Th.*, nempe non omisisse in communi & vulgari modo loquendi; nos autem assignamus, per quid moraliter, Theologicè, seu in ratione peccati externi completur talis occisio vel omisio, & quando dicatur incurri tota ejus malitia, dicimusque tum esse, quando liberè fit occisio vel omisio, aut quando liberè ponitur causa mortis vel omissionis alterius postea sine libertate secutura.

*Inst.*

*Inst.* Qui habuit voluntatem audiendi Missam, si reipsa non audit, non potest dici nequidem moraliter audisse, ergo nec dicitur moraliter omisisse, si reipsa non omisit. *R.* Si habuit voluntatem efficacem & post adhibita media audire non potuit, rectè dicitur audisse moraliter, quantum sufficit ad hoc, ut dicatur non peccasse sed satisfacisse præcepto, quantum hinc & nunc tenebatur, ita *Compt. f. 8. n. 4.*

Alia, quæ hinc opponi possent, solventur ad questionem sequentem. An autem illa quæ fuerunt causa peccati, vel se habuerunt concomitantè ad peccatum, sint peccata, & in Confessione addi debeant, dicitur l. 6., p. 2. à num.

943.

*Q. 8. An effectus mali ex peccato sequentes dicendi sint esse peccata.*

*R. S. 1. Probabilius videtur effectus malos ex peccato sequentes non esse dicendos peccata, si nullo modo fuerint prævisi, ita Vasq. Less. Arr. Baldel. Dicast. Tann. d. 4. q. 3. n. 55. Gob. in Quin. t. 5. c. 9. n. 24. alique contra multos antiquos & recentiores apud Tann. n. 50. Ratio est, quia si effectus non est prævisus, nequidem indirectè est voluntarius, ergo nec est peccatum: hinc si vulnerasti Titium, nullo modo prævidens mortem; si per diem turpia locutus es, nullo modo prævidens pollutionem nocturnam: si plene te inebriasti, nullo modo prævidens blasphemias, quamvis hæc omnia sequantur, nequidem denominativè sunt peccata.*

*Obji. 1. S. Th. 1. 2. q. 20. a. 5. O. & q. 73. a. 8. expressè dicit effectum malum aut nocumentum, quod per se & i. plurimum sequitur ex*

B 5

causa

causa mala, addere malitiam, quamvis non fuerit ejus prævisio: ratio autem est, quia cum causa sit per se & communiter connexa cum effectu illo, est sufficienter volitus in causa. *Re. Tann. n. 47.* putat *S. Th.* tantum velle, quod accedat malitia objectiva, quia illud, quod ita per se sequitur, reipsa est objective malum: Si autem quis putet *S. Th.* loqui etiam de malitia formali, explicari debet de casu, quo culpabiliter exclusa est expressior cogitatio de effectu secuturo; & ita communiter est, tum enim homines per experientiam suam norunt talia sequi, & nihilominus liberè ponunt causas, non curantes, quid inde sequatur, animo ita comparati, ut adhuc ponerent, quamvis expressius de illis secuturis cogitarent.

*Inst.* Effectus, qui per se & ut plurimum sequitur, potuit & debuit prævideri, ergo semper est culpa non fuisse prævisum. *Re. Sæpe* ita esse, sed si nec suspicio vel scrupulus de hoc inciderit, nego in illis circumstantiis potuisse aut debuisse prævideri, quia prima cogitatio de re aliqua non est in nostra potestate, uti optimè *Aristoteles* apud *Ovied. 1. 2. tr. 4. contr. 1. p. 4.*, & diximus n. 16, ergo si nulla incidit cogitatio de obligatione attendendi vel cavendi, malitia non contrahetur, neque hic sufficit, quod physicè potuerit aut debuerit attendi, uti rectè docent *S. Bonav. S. Anton. Alb. M. Alens. Cajet. Suar. Vasq. Laym. Lug. Reding. Steph. Gob. n. 39. & 83. Ovied. supra, J. Sanch. d. 10.*, ubi pro hac sententia, præter jam relatam, citat alios 20. Auctores.

32. *Objt. 2.* Quod fit ex ignorantia culpabili est peccatum, sed pollutio secuta ex turpiloquio, quamvis

quamvis prævifa non fit, fit ex ignorantia, uti patet, & illa ignorantia est culpabilis, cum sit peccatum turpiloquii, ex quo illa supponitur sequi, ergo Ita *Gonet* de pecc. d. 3. n. 141. *Dist. min.*, & illa ignorantia est culpabilis, in se, c, respectu effectus secuturi, n, ut enim respectu effectus dici posset culpabilis, debuisset connexio causæ cum effectu fuisse aliquo modo cognita. Vide *Ovid.* supra.

§. 2. Nullus effectus ideo potest dici propriè peccatum, quia sequitur ex peccato, quamvis in peccato velut causa fuerit prævifus vel etiam intentus, ita *Bonac.* de Leg. d. 2. q. 4. p. 4. n. 8. *Lugo* de pœnit. d. 16. à n. 440. *Amic.* de gratia d. 28. l. 4. à n. 71. *Dicast.* de pœnit. d. 9. à n. 19. *Herincos* hic d. 5. n. 72. & alii, contra *Caj. Sor. Tann.* d. 4. q. 4. n. 33. *Gonet* de pœdest. d. 5. a. 5. & alios. Probat, nam imprimis si voluntas tum sit retractata, quando effectus sequitur, patet hunc non posse dici peccatum, alioquin de facto peccaret Adamus, vel saltem nos peccaremus, quoties orientur in nobis pravi motus concupiscentiæ, sicut enim effectus mali, consequentes ex peccato Adami, quod moraliter fuit nostrum; imò adhuc posset peccare actu beatus, si enim Titius lethaliter vulnerasset Cajum, qui moreretur, postquam Titius de peccato suo contritus, esset mortuus, mors Caji esset peccatum respectu Titii, quod nemo dicet. Deinde quamvis voluntas non sit retractata, tamen non ideo dici potest peccatum, quod sequatur ex peccato, nam omne peccatum est actio libera completa internè vel externè, si internè, patet non compleri per effectum externum ex peccato secutum.

333

cutum, adeoque hunc non posse dici peccatum, sed purè effectum peccati; si externè, etiam non completur per effectum secutum ex peccato, sed immediatè per solam actionem externam, secundùm dicta à n. 27., cujus Ratio à priori hæc est, quia omne actuale peccatum debet esse saltem denominativè actu voluntarium & liberum, quando fit, sed effectus talis sequens ex peccato, nequidem denominativè est actu voluntarius & liber, quando fit, ergo. *Prob. min.*, talis effectus sæpe sequitur, quando desit actus internus voluntatis, v. g. mors sequitur, quando ille, qui læsit, postea dormit nec amplius cogitat de illa morte, sed talis effectus non potest cum denominari actu voluntarius & liber, ergo. *Prob. min.*, quod denominatur actu voluntarium & liberum, debet denominari actu liberè procedens à principio intrinseco cum cognitione finis, sic enim definitur voluntarium liberum: sed nihil potest ita denominari, si volitio interna libera non existat vel formaliter, vel saltem virtualiter in aliquo actu tenui, à quo procedat & imperetur ille effectus sequens, non enim potest dici procedere vel imperari ab actuali libertate, si hæc non existat actu, ergo. *Respondent*, posse moraliter procedere ab eo, quod non est actu, quia causa moralis potest actu causare, licèt actu non existat. *Contrà est*, licèt hoc possit causa moralis, quæ causat per virtutem intentionaliter existentem, uti est causa meritoria, quam satis est fuisse vel prævideri ut absolutè positam pro certo tempore, eò quòd tum sufficienter moyere possit ad dandum præmium, tamen id non sequit in illa causa morali, quæ causat informando

do potentiam & sic determinando ad influendum, uti hinc fit, hinc nec cognitio potest moraliter causare volitionem, nec actus imperans imperatum, nisi cognitio & actus imperans actu existant. Ratio autem ulterior, cur libertas non possit actualiter denominare actum externum, si non existat internus, hæc est, quia internus primario denominatur liber, & dependenter ab hoc denominatur externus secundario liber, ita ut tota libertas actus externi sit libertas actus interni, ergo si libertas non denominet actum internum liberum (quod non potest facere, si actus internus non existat) etiam non denominat actum externum actualiter liberum, sicuti si visio non denominet actu videntem, etiam non denominat actu visum, quia esse visum dicitur dependenter à vidente.

*Obj. 1.* Mors denominatur actu volita per volitionem præteritam, ergo etiam potest per illam denominari actu voluntaria. *R. n. conseq.*, quia esse actu volitum, est prædicatum commune temporis præsentis & præteriti, nam quod actu volo & quod aliquando actu volui, dicitur pro isto tempore actu volitum; è contrà actu voluntarium est prædicatum tantum de præsentis & quidem physico, ergo non habetur nisi à forma actu existente.

*Inst. 1.* Esse actu senem vel actu famulum sunt denominationes de præsentis, & tamen sunt ab annis vel conductione præterita, ergo & sic poterit mors denominari actu voluntaria à volitione præterita. *R. n. conseq.*, copula, *est*, sæpe mutat statum, ampliatur vel alienatur, unde ut sciri possit, an significet de præsentis aut requirat formam

34.

formam



formam actu existentem, attendi debet, non tam ad vocem ipsam, quam ad significationem & exigentiam prædicati, v.g. domus nunc est combusta, re ipsa non est de præsentis, nec quoad subjectum, quod est domus, nec quoad formam denominantem, quæ est combustio, quia facit hunc sensum, domus fuit & esse desit per combustionem, quæ combustio etiam non est, sed fuit: similiter illa, Cajus est senex, est de præsentis quoad subjectum, sed quoad formam est de præterito, quia facit hunc sensum, Cajus existit & multi ejus anni præterierunt: ista autem, Cajus est famulus, est de præsentis quoad subjectum, & si significet Cajum jam conductum, erit etiam quoad formam de præsentis, si autem significet manere conductum, importat formam sive conductionem physicè præteritam sed moraliter perseverantem: jam verò cum dico, mors est actu voluntaria, sensus debet esse, mors est actu dependens à volitione, à qua denominatur voluntaria, quod falsum est, si actu non existat volitio.

*Inst. 2.* Saltem si volitio mortis actu existat, & mors tum sequatur, denominabitur voluntaria, poteritque dici peccatum. *R. n. ass.*, nam mortum non fit dependenter à volitione, quia hæc absente adhuc æqualiter causaretur à læsione impacta: deinde saltem dici non potest peccatum, quia nequidem externè complet peccatum, secundum dicta n. 33.

*Inst. 3.* Mors secuta ex actu libero etiam præterito, dicitur effectus liber, ergo falsum est, quod liberum dicatur à libertate actu existente. *R.* Dicitur effectus liber objectivè, & liber formaliter

liter vel etiam denominativè, n, tantum enim dicitur fuisse objectum & esse effectum actus liberi: quod si aliquando vocetur effectus liber, est impropria locutio, uti etiam hæc, cœlum est objectum liberum amoris, mundus est effectus liber Dei, tantum enim significatur, quod cœlum sit objectum actus liberi, & quod mundus sit effectus actionis liberæ.

*Inst. 4.* Talis mors est mala, ergo est peccatum. *R.* Est mala in ratione objecti & in se, uti infernus & nocumentum proximi, c, est mala in ratione actus humani formaliter vel denominativè, n. ant. & conseq.

*Obji. 2.* Homicidium est peccatum, sed mors sequens constituit homicidium in esse homicidii, ergo etiam constituit peccatum in esse peccati. *Prob. min.* non habitâ solâ morte non est homicidium, alioquin, necdum secutâ morte, qui lethaliter vulnerasset, esset homicida, adeoque irregularis, quod nemo dicit. *R.* Homicidium, secundum omnia, quæ includit, tam ex parte agentis quàm patientis, sic est peccatum, n, secundum ea, quæ includit ex parte agentis, c; homicidium ex parte agentis dicit actionem illativam mortis, quæ ab ea essentialiter respicitur tanquam apta sequi, sed cum contingens sit, quod actu sequatur, & tamen eâ solâ non habitâ non fit homicidium, hinc mors est de essentia homicidii adæquatè sumpti, non ut peccatum est, præcisè, sed ut est forma denominans homicidam physicè talem, quamvis moraliter & Theologicè homicida sit, qui posuit actionem illativam mortis.

*Inst. 1.* Irregularitas ex delicto & excommunicatio

nicatio non incurruntur nisi propter peccatum, sed irregularitas & excommunicatio lata in homicidas incurruntur propter mortem secutam, ergo mors secuta est peccatum. *R. n. min.*, nam mors est tantum conditio prærequisita, quã posita Ecclesia voluit, ut tum prius contrahatur irregularitas vel excommunicatio, propter peccatum præteritum, quod fuit causa illius mortis.

*Inst. 2.* Qui se inebriat prævidens homicidium, incurrit talem poenam, sed non incurrit propter ebrietatem, huic enim non est annexa talis poena, ergo propter homicidium, ergo tale homicidium est voluntarium & peccaminosum. Item, nemo extra Matrimonium perdit virginitatem nisi per peccatum, uti habet *S. Th. 2. 2. q. 252. a. 3.*, sed puella se inebrians ut defloretur, deflorata perdit virginitatem, ergo defloratio in ebrietate admessa est peccatum. Item, nemo tenetur voto externo, nisi sit actus humanus & voluntarius, sed si quis vellet votare per verba, quæ intendit proferre in ebrietate, si in hac proferat, tenetur voto, uti docet *Suar. de Relig. T. 2. l. 1. c. 10.*, ergo verba in ebrietate prolata sunt humana, ergo actio sic prævisa vel intenta poterit esse humana & peccaminosa, ita *Gonet n. 141. R. Ad 1.* Si talis homo incurrit excommunicationem, est propter volitionem homicidii, homicidium autem secutum erit tantum conditio. *Ad 2.* Perdit per deflorationem, quæ fuit volita in causa. *Ad 3.* Si tenetur, est propter voluntatem antecedentem, quã voluit obligationem sub conditione prolatis secutura.

36. *Obi. 3.* Ebrietas plena est peccatum, sed quando plena ebrietas contingit, non est libertas, eodem

demenim instanti tollitur usus rationis ; ergo peccatum fit, etiamsi non sit actu liberus *Respondent* 1. *Compt.* f. 6. n. 7. & *Herincx* n. 74. ebrietatem ideo dici peccatum, quia proximè conjuncta fuit libertati, sed hoc tantùm dicitur in sensu vulgi; unde *R.* 2. n. maj., quam *Arr.* d. 45. n. 13. malè dicit admitti ab omnibus: si vis, distingue, si per ebrietatem intelligas ebrietatem causalem sive inebriationem & potationem, quæ ebrietatem inducit, illam esse peccatum; si intelligas ebrietatem formalem seu ipsam privationem rationis secutam ex illa potatione, n. maj.

*Obji.* 4. Æger, qui petivit absolvi & privatur rationis, si absolvatur, recipit gratiam: Christianus, qui cum desiderio Martyrii indormiit, si in odium fidei occidatur dormiens, meretur corollam Martyrii, ergo etiam poterit aliquis non habens usum rationis gratiam amittere & demereri ac peccare. Ita *Gonet* n. 142. & 152. *R.* Talis æger recipit gratiam vi Sacramenti, ad quod dispositus erat per antecedentem suum actum. Christianus non meretur Martyrium, nisi fortè ante somnum per actum formaliter liberum; accipit autem corollam vi realis Martyrii post actum illum secuti, *Amic.* d. 22. n. 46.

*Obji.* 5. Lectio Horarum sæpe fit ita distractè & inadvertenter, ut nulla adsit actualis libertas, & tamen censetur actio humana, quia incepta est cum libertate, quæ præterit, ergo etiam effectus ex antecedente libertate secutus poterit esse humanus & dici peccatum. Ita *Gonet* n. 142. *R.* n. ant., quia quamdiu continuantur actiones externæ, quæ spectant ad opus inceptum, manet intentio virtualis, quod inde colligitur, nam si

mens planè abstrahatur aliò, statim cessat actio exterior, nec aliquis potest prosequi opus inceptum, nisi resumat intentionem, ergo quamdiu non cessat actio exterior, signum est adhuc dirigi & imperari à priore intentione saltem virtualiter, id est, in actu tenui ac imperceptibili adhuc existente, ita *Vasq. Con. Compt. l. 8. n. 3.*

39. *Obji. 6.* Si omissio Missæ secuta in somno non fit peccatum, ergo licitum est optare, ut eveniat vel de ea gaudere, quia licitum est optare effectum peccati & de eo gaudere, adultera enim licitè optat partum & gaudet de filio nato; ita qui die Veneris comedit carnes, licitè optat nutritionem vel de ea gaudet. Ita *Gonet n. 143. n. seq.*, nam nocumentum causale proximi, vel everio domus alienæ per motum terræ, non est peccatum, imò nec effectus peccati, & tamen non est licitum illud optare proximo vel de eo gaudere; ratio autem est, quia quamvis talia non sint per modum actus humani, sunt tamen malitia in ratione objecti, habentque suam malitiam objectivam, si sint contra aliquod præceptum naturale vel positivum, ideoque illicitum est illam malitiam ferri per desiderium vel contentam placentiam, quia voluntas tum ferretur in hoc quod re ipsa prohibitum est & oppositum præcepto. Partus adulteræ supposito adulterio non licet præcepto opponitur, nec habet malitiam objectivam, hinc potest illum optare adultera contra corroboratio corporis è carnibus die Veneris sumptis habet malitiam objectivam, ut dicitur *n. 48.*, hinc non est licitum eam optare vel de ea gaudere. Vide etiam dicenda *nu. 90. & 91.*

Dixi n. 33. tales effectus non ideo posse dici 40.  
peccata, quod ex peccato sequantur; nam ejus-  
modi effectus externus potest aliunde esse pecca-  
tum, si nempe sequatur, quando adhuc est status  
libertatis, & compleat actionem internam ma-  
lam in ratione peccati externi, sic homicidium  
secutum ex ebrietate non plena, pollutio extra  
somaum exturpiloquio, sunt utique peccata,  
in quantum subsunt actuali libertati, & com-  
pleat volitionem actualem occidendi aut se de-  
lectandi venere.

Q. 9. An effectus mali ex peccato sequentes, sint 41.  
saltem moraliter, vel ad culpam imputabiles.

R. §. 1. Si prævise non fuerint, non sunt impu-  
tabiles ad culpam, quia nullo modo sunt volun-  
terii, uti dictum est à n. 30. E contra si sint præ-  
visi & intenti, hoc sensu sunt moraliter impu-  
tabiles, quod culpabiliter sit posita causa, ex qua  
re ipsa sequantur, & ideo in æstimatione pru-  
dentium illi causæ attribuantur: si tamen volun-  
tas sit retractata, aut si fuerint quidem prævise,  
attamen non fuerit potestas vel obligatio illos  
impediendi, non est nunc culpa, quod sequan-  
tur, & hoc sensu non erunt nunc moraliter im-  
putabiles, sed tantum physicè. Vide dicta l. 1. à  
n. 757.

§. 2. Effectus malus intentus vel prævise ex 42.  
causa illicitè posita, est suo modo æqualiter im-  
putabilis, sive sequatur post, sive ante volunta-  
tem retractatam, aut quando non est amplius  
potestas illum impediendi, ita Arr. Lugo de pen.  
d. 16. à n. 443. Dicast. de pen. d. 9. à n. 27. Rhod.  
hic d. 1. q. 2. f. 2. §. 1. Herinx d. 5. n. 72. alique  
contra Henric. Avers. & alios multos. Probat, 1.

C 2

effectum

effectum posse alicui imputari, est posse alicui attribui tanquam causæ liberæ, quod sequatur, sed siue causa sit retractata siue non, siue nunc sit siue non sit potestas impediendi, verum est, quod effectus sequatur ex illa causa, quæ poni non debuit, & tamen liberè posita est cum intentione vel prævisione talis effectus, adeoque attribui potest & in eam causam referri, quod sequatur, ergo. 2. Multi effectus & miseriæ, quas patimur, imò peccatum originale, quod contrahimus, imputatur peccato Adami, quamvis hoc peccatum sit retractatum, ne sit nunc in potestate Adami vel nostra hos effectus impedire, ergo idem est in aliis effectibus malis à causa mala sequentibus. 3. Si effectus malus non imputatur, quando causa est retractata, ergo qui Titium lethaliter vulneravit volens occidere, si statim post poenitentiam eum facti, & mors postea sequatur, non incurrit irregularitatem, at qui incurrit, nec sum juvat retractatio, uti dicitur l. 7., quando de irregularitate, ergo. *Conf.* nam si mors sequatur post retractationem, qui vulneravit, punitur tanquam homicida, alioqui non ita puniendus, si mors non sequeretur, ergo mors illi imputatur. Ratio à priori est, quia illa retractatio aut succedens impossibilitas impediendi, neque facit, ut re ipsa liberè posita non sit illicita causa talis effectus intenti vel prævisi, neque facit, ut illa causa careat influxu in talem effectum, ergo nec impedit dependentiam à tali causa, ergo nec imputabilitatem.

43. *Obj.* Per retractationem tollitur ratio voluntarii à peccato præterito, posita enim retractatione non manet habitualiter, ergo nec effectus

ctus postea secutus erit voluntarius, ergo nullo modo imputabilis. R. 1. Si peccatum retractetur ab homine, sed à Deo necdum sit remissum, manet peccatum habituale in ratione offensæ & ad culpam ac pœnam imputabile, ergo saltem tum imputabitur effectus. R. 2. Per retractionem tollitur ratio voluntarii à peccato, quoad tempus secuturum, e, quoad tempus præteritum, n., id est, retractatio facit quidem, ut peccatum non amplius sit actu volitum, ideoque pro nunc dicitur non voluntarium, attamen retractatio non facit, ut pro præterito non fuerit voluntarium, jam verò effectus sequitur ex peccato ut præterito, & planè per accidens se habet retractatio, æqualiter enim sequitur, sive accedat retractatio sive non, & sive pro futuro maneat volitum sive non, quia effectus non respicit hanc continuationem sed causam liberè positam, cum inciperet peccatum, ergo retractatio nihil ad rem facit.

*Inst.* Si talis effectus adhuc imputetur, vel ergo ad culpam, vel ad pœnam; non ad culpam, uti n. 41. dictum est, quia non est nunc culpa, quod sequatur; nec ad pœnam, quia hæc antecedenter fuit debita, nec debetur nova, nisi accesserit nova culpa. R. Imputatur præteritæ culpæ, non quòd nunc sit aut dici possit culpa, sed quis referri debet in culpam præteritam veluti causam, eique attribui velut effectus, sicuti combustioni attribuitur damnum proximi, fomes peccati attribuitur peccato Adami, quamvis nec damnum illud, neque hic fomes sit peccatum vel culpa.

§. 3. Si causa talis effectus mali fuerit hic & 44.

C 3

nunc



nunc licita, & rationabilis causa adfuerit posendi illam, quamvis praevideatur effectus malus ex illa secuturus, hic non erit imputabilis ad culpam, dummodo non intendatur, nec sit periculum consensus in illum vel illius delectabilitatem, uti cum communi *Tann. d. 4. q. 8. n. 115.* Potestque videri *Busemb. relatus l. 3. p. 1. n. 920.* Item illa, quae ibidem addidimus à n. 922.

45. §. 4. Si cogitatio incidit de effectu malo forte secuturo ex causa male, sed adhibita fuit praecautio, qualem viri prudentes iudicant sufficientem esse ne sequatur vel ne imputetur, licet sequatur effectus, non imputabitur ad culpam, uti nec tum, si timor incidit, sed hunc correxit prudenter sibi persuadendo timorem esse inanem, uti rectè *Vasq. Tann. n. 63. Gob. n. 39. 3.* Si autem levis tantùm cogitatio occurrerit de periculo, vel per negligentiam venialem major de liberatio sit praetermissa, effectus sequens non potest nisi ad culpam venialem imputari. Quod si quis per experientiam sciat tales timores vel cogitationes incidentes ordinariè esse vanas, habet sufficientem causam contemnendi, licet forte per accidens aliquid mali ex operatione sequatur.

46. §. 5. Si causa effectus mortaliter mali fuerit tantùm venialis, quamvis hic effectus fuerit pravus, non posse nisi ad veniale imputari docent *Sanct. de Matr. l. 9. d. 45. n. 19. Less. Dicast. Gob. alique cum Diana p. 1. t. 7. R. 65. & Burgh. cent. 3. cas. 4.*, quamvis alii apud *Tann. à n. 111.* dissentiant, putentque imputandum etiam ad mortale, saltem si effectus malus sequatur ex causa veniali spectante ad eandem materiam,

cujus

eius est effectus, uti si pollutio sequatur ex turpi joco venialiter tantum malo; sed ratio priorum est, quia talis effectus non est in se volutus nec in se liber vel moralis, sed tantum in causa, ergo non videtur habere majorem malitiam, quam sua causa.

An effectus mali sequentes ad peccatum sint confitendi, dicitur l. 6. p. 2. à nu. 943. Quomodo autem effectus ignorantie vel erroris vincibilis sint imputabiles, dictum est l. 1. à n. 755.

Q. 10. An illa, quae inadvertenter fiunt ex consuetudine peccaminosa, sint peccata. R. Non esse, uti satis constat ex dictis, cum hic & nunc non sint voluntaria. Tenet tamen communis sententia cum Lugo de Pœn. d. 16. n. 206. esse obligationem emendandi talem consuetudinem, ex qua sequuntur effectus de se mali & retinentes malitiam objectivam, quando fiunt, licet indeliberate sequantur: an autem confitendi sint, si talis consuetudo culpabiliter maneat, dicitur l. 6. p. 2. à n. 973.

Q. 11. Quanam, etiam indeliberate facta, censeantur retinere malitiam objectivam & quanam objecta censeantur intrinsece mala.

R. Ad 1. Illa retinent malitiam objectivam, quae hoc retinent, propter quod aliàs prohibentur, ita ut si ad illa accederet sola advertentia & libertas, hoc ipso essent formalia peccata: è contrà, si præter advertentiam vel libertatem etiam aliquid aliud ipsis desit ad illud esse, propter quod prohibentur, non retineat malitiam objectivam; v.g. homicidium manet violatio juris alieni, pollutio innaturalis manet damnosa pro-

li ac generi humano, eius carni die Veneri  
 factus ab homine usum rationis habente est huius  
 prohibitus & manet roboratio corporis, etiam  
 fiant in ebrietate; & ipsamet ebrietas manet ce-  
 meraria privatio rationis, quamvis inculpata  
 fiat; hæc autem sunt rationes, ob quas illa omnia  
 prohibentur, ergo etiam si fiant sine advertentia  
 & libertate, retinent malitiam objectivam  
 & sunt veluti materia peccati, ad quam non est  
 licitum incitare aliquem, sed est obligatio vitandi  
 vel emendandi causas per se & proximas illor-  
 rum: è contrà verba hæretica, mendacia, perjura-  
 ra, si proferantur in ebrietate vel somno, non  
 retinent malitiam objectivam, sed sunt, ac si  
 conscientie proferrentur, quia non habent hoc  
 propter quod prohibentur, nam verba talia ne-  
 quidem materialiter sunt hæretica, cum ad hæ-  
 resin requiratur actualis cognitio objecti cre-  
 dendi & error pertinax circa illud; similiter ad  
 mendacium requiritur actualis cognitio falsi &  
 assertio illius tanquam veri; ad perjuriam au-  
 tem accedere debet advertentia ad interpositio-  
 nem testimonii divini secundum dicta l. 3. p. 1.  
 n. 172. , ergo ejusmodi verba prolata sine tali  
 actuali cognitione non retinent malitiam obje-  
 ctivam, adeoque, nisi fortè esset ratio scan-  
 dali, nulla est obligatio vitandi, v.g. ebrietatem  
 ex hoc, quòd hæc sit causa proxima talium ver-  
 borum. Addit J. Sanch. d. 21. n. 13. somnia im-  
 pudica nullam habere malitiam objectivam,  
 hinc comedentem calida, ut habeat somnia tur-  
 pia, non peccare; sed contrà est, quia hoc ipso  
 simul intendit motus venerosos, qui habent ma-  
 litiam objectivam. Addunt multi, imprecatio-

nes & blasphemias, si fiant sine animo malevolendi proximo vel inhonorandi Deum, etiam non habere malitiam objectivam, hinc docet *Tann.* hic d. 4. q. 3. n. 143. non esse saltem mortale incitare stultum ad effrenda verba blasphema, non intendendo inhonorationem Dei, quia re ipsa non sunt blasphema; addit *Bernal de Sacram.* d. 17. n. 75., si amens tibi minetur mortem, nisi Christum abneget, te posse ore tenus abnegare, nam hoc non est Christum negare, cum non sit loqui, sed quoddam locutio non sit nisi ad rationis compotem: Sed *Delbene de Imm.* eccl. c. 13. d. 1. & *Lugo de Pœnit.* d. 16. n. 210. rectè notant, si hæc fiant ab habente usum rationis, retinere aliquam turpitudinem, & moraliter tribui causanti, nam habet advertentiam ad substantiam actûs, quæ est operatio mali, inhonoratio vel abnegatio Dsi, adeoque videtur esse materialis imprecatio, blasphemia vel abnegatio: Si autem sic proferens nequidem adverterit ad substantiam actûs, quia invincibiliter ignoravit talibus verbis significari ista, in hoc casu quamvis propriè non habeant objectivam vel materiale malitiam, tamen secundùm se adhuc videntur habere aliquam indecentiam, quia apud audientes ingenerant malum sensum; hinc dicit *Oviedo* hic *controv.* 7. n. 60. blasphemias in somno prolatas, aut quas aliquis edoceret psittacum, habere malitiam aliquam objectivam sive indecentiam, ideoque Deum non posse esse eorum causam. Videri potest *Gobat* in *Quin.* t. 5. c. 9. à n. 60. iterumque *oto* c. 19., ubi de hæc questione fusè discurret, & affert valde diversas sententias.

*Re ad 2.* Ad dignoscendum, an aliquod obiectum sit intrinsecè bonum aut malum, adeoque à n. iure naturæ licitum an illicitum, dant hâc regulam Lugo, Palav. Haun. & alii Recentiores, hic a. va. Rel. affe. circ. ide. bile. per. mi. der. iam. ten. tus. cor. pti. eret. tio. Ges. ne. du. vel. ne. tib. Re. da. vie. feu. rat. tal. qu. de. offe. consideremus, quid homines pro priori ad hanc communis humanam, aut saltem pro statu quo incerti fuissent, an unquam futuri fuissent partes hujus communis humanæ, quid, inquam, tum voluissent, aut judicassent ad bonum commune hujus communis humanæ esse, vel liceret vel non liceret: quod enim propter bonum commune judicassent debere esse licitum hoc censetur intrinsecè bonum; quod judicassent non debere esse licitum, censetur intrinsecè malum. Si dicas, ad commune bonum fuisset melius, fieri, v. g. unum mendacium, quam si illo damnari totum mundum, ergo tale mendacium non erit intrinsecè malum. *Re.* Dato autem negando consequens, quamvis enim ad commune bonum melius fuisset fieri tale mendacium, tamen non fuisset melius licere, quia ex licentia mendacii in unico etiam casu, gravissimum malum imminerebat generi humano, sed quod homines sibi persuasissent esse licitum mentiri, ubi mille bonum inde posset nasci, quod sibi quisque pro sua passione persuasisset esse hic & nunc, si que fuissent frequentata mendacia, atque fuissent licita, & eversum commercium humanum. Et ideo inferunt cit. Auctores, in aliquibus legibus naturæ nullam esse exceptionem, nempe in iis, in quibus si admitteretur aliqua exceptio, tota lex esset inutilis, propter circumstantias periculi, vel propter abusum ex privato cuiusque arbitrio, cujus rei exemplum dedi l. 3. p. 2.

à n. 910. in materia venerea, quod declarabitur hic à n. 98. Et aliud exemplum est, si liceret privatâ auctoritate occidere personam noxiam Reip., nam ex odio, invidia aliove simili pravo affectu facillimè conciperetur iudicium, jam esse circumstantiam, in qua hoc liceat. Atque etiam ideo humane leges obligant illos, quibus probabile est leges illas non esse utiles Reip., quia si quis per hoc privatum iudicium posset eximi, pluri- mi de legibus perversè præsumerent easque elu- derent; hinc melius fuit omnes ligari lege, et- iam tum, quando ex privata ratione posset præ- tendi exceptio. E contra tamen rectè notat Mau- vus de just. q. 150. aliquas leges naturales esse in cordibus nostris scriptas etiam cum suis exce- ptionibus, v. g. *Vota obligant, nisi remittantur; se- cretum non est revelandum, nisi noceat Reip.* &c. Ra- tio enim dicitur has exceptiones cadere in illas le- ges, neque ideo sequitur aliquid contra commu- ne bonum: quia tamen in aliquibus objectis sæpe dubium est, an commune bonum postulet hoc vel illud, hinc in multis disceptant Theologi, sit- ne hoc iure nature malum necne, aliis affirman- tibus, aliis negantibus.

Q. 12. Quid dicendum sit de peccato philosophico. 49.

R. De hoc orti sunt magni motus ratione cujus- dam thesæ ab uno è Societate JESU defensæ Di- vione, quæ sic habebat, *Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens nature rationali & recte rationi; Theologicum verò & mor- tale est transgressio libera divinæ legis: Philosophicum quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amici- tiam*

tiam

tiam Dei, neque aeternâ poenâ dignum. Hanc propositionem damnavit 24. Aug. 1690. Alex. VIII. velut scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam & erroneam, de qua etiam sub excommunicatione Papæ reservata, ipso facto incurranda, prohibet tractare, nisi forsan impugando; ut itaque ex fundamento impugnari, & natura peccati philosophici intelligi possit, quædam addemus.

50. §. 1. Quamvis secludamus omnem cognitionem Dei, tamen adhuc posset homo moraliter bene vel malè agere, si nempe pro libertate sui arbitrii eligeret operari juxta vel contra prima principia rectæ rationis nobis indita à natura qualia sunt, bonum est faciendum, malum est fugiendum, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; colendi sunt benefactores &c. Hæc enim nobis sunt evidentiissima, quamvis supponatur ignorantia vel incognitiam invincibilis de Deo: Ratio est, quia operans juxta vel contra illa principia merebitur laudem vel vituperium, quia dicitur agere juxta vel contra dignitatem naturæ suæ rationalis: Et hæc est mens S. Th & aliorum, quos retulimus n. 25. contra Palav. Mastrium, & paucos alios: faveatque damnatio facta ab Alex. VIII. hujus propositionis, *Revera peccat, qui odio habet peccatum, merè ob ejus turpitudinem & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu*: Si enim actus ille non sit peccatum, cum sit moralis, erit bonus, secundum dicta l. 1. n. 15. Et è contrâ actus præcisè disconveniens naturæ rationali erit similiter malus.

*Respondent 1.* Disconvenientiam actus cum natura rationali fore tantum malum physicum, quale

quale etiam est disconvenientia magni calcei cum parvo pede. *Contra est* 1. Malum physicum potest à natura rationali, imò & à Deo directe intendi, non autem id, quod est disconveniens naturæ rationali quæ tali, sic enim nec à natura rationali, si operetur secundum dignitatem suam, nec à Deo intendi potest mendacium, iniustitia &c. ergo disconvenientia cum natura rationali quæ tali non est malum purè physicum.

2. Si disconvenientia illa foret malum tantum physicum, ergo interfectio Patris non esset in eo casu magis disconveniens naturæ rationali & rectæ rationi quàm interfectio bovis.

*Respondet Palav.* concedendo seq., quia negatio Dei est absurdorum omnium absurdissimū, ergo non est mirum, quod ex eo sequantur alia absurda. *Contra est* 1. quia hic non supponimus negationem Dei, sed tantum ignorantiam aut incogitantiam invincibilem de Deo, hanc autem supponere non est absurdissimum. 2. Quamvis etiam hoc supponere foret absurdum, tamen cum hoc etiam supponimus manere naturam rationalem: nec valent hæ consequentiæ, Deus ignoratur, vel non cogitatur de Deo, ergo non potest dari ulla regula rectæ rationis humanæ, ergo nihil est disconveniens rectæ rationi humanæ &c. quamvis enim supponas Deum desinere, tamen ratio nostra manebit recta, & regula, prout eam Deus fecit.

§. 2. Peccatum factum ex ignorantia Dei vincibili, id est, tali, quam operans posset & omnibus consideratis hic & nunc deberet tollere, habet malitiam formalem, quia hæc ignorantia non excusat, sed effectus ex ea secutus sufficienter

ter



ter est voluntarius & imputabilis ratione cau-  
 hinc SS. PP. non excusarunt antiquos ethnicos  
 & multò minus jam, per se loquendo, excusi  
 possunt, quia sufficienter Deum, saltem confusi  
 cognoscunt, imprimis ab extrinseco ex natura  
 totius ordine, ex religione populorum, ar-  
 fociis, sacrificiis, sermonibus parentum, in-  
 stitutione majorum, imò ex rebus omnibus  
 manibus, non à se sed ab alio se esse; deum  
 etiam veluti ab intrinseco, ex innata omni  
 Idea Numinis alicujus sive Supremi Principis  
 gubernantis omnia; item ex remorsu conscien-  
 tia, timore poenae, inquietudine animi, si qui  
 commiserint contra rectam rationem: qui  
 habitis sufficienter cognoscunt se teneri saltem  
 inquirere in Deum; & hæc obligatio illis pro-  
 ponitur, v. g. sub hac conditione, si Deus  
 de quo mihi incidit cogitatio, ille vult, ut inquiram  
 in se.

- ¶ 2. §. 3. An aliquando detur vel dari possit ig-  
 rantia aut incogitantia invincibilis Dei, nihil  
 tinet hic dicere; sunt, qui absolute negent, sunt  
 qui affirmant, saltem ad breve tempus: ut  
 tantum dicimus: si in aliquo daretur, & tunc  
 homo aliquid ageret contra dictamen recte  
 rationis, hunc ejus actum non habituram malitiam  
 formalem Theologicam, uti satis constat ex  
 dictis n. 25.; at tamen habituram malitiam  
 aliquam moralem, in quantum esset discon-  
 niens à natura rationali, ut etiam constat ex  
 dictis n. 50., & hanc malitiam possumus vocare  
 philosophicam, quia est contra rectam ratio-  
 nem, quæ se regunt Philosophi: an autem tunc  
 malitia etiam dici debeat peccatum, non potest

esse quaestio nisi de nomine; aliqui negant, quia non esset formaliter contra legem Dei, & consequenter dicunt, si Deus per impossibile mentiretur, non fore peccatum sed tantum malum morale; è contra alii affirmant, putantes ad denominationem peccati satis esse, quod sit actus disconveniens cum aliqua regula objectiva morum, qualis etiam est natura rationalis vel recta ratio, quae suo modo etiam dici potest lex, non quidem imperans sed indicans, quid agendum sit vel omittendum: & cum his nunc loquemur, ac cum communi talem actionem vocabimus peccatum philosophicum, prout illud definitivimus n. 11. & à S. Th. 1. 2. q. 71. a. 6. ad 5. significatur his verbis: dicendum, quod à Theologis consideratur peccatum, praecipue secundum quod est offensiva contra Deum; à Philosopho autem morali, secundum quod contrariatur rationi.

Objicies. Si peccatum philosophicum non fit formalis offensiva Dei, ergo qui vellet solum peccatum philosophicum & non offensivam formalem Dei, non peccaret formaliter contra Deum, consequenter qui sic esset comparatus, ut vellet occidere patrem, si hoc non esset à Deo prohibitum, non peccaret formaliter contra Deum. R. 1. Si supponas conscientiam invincibiliter putantem ita separari posse malitias, transeat totum. R. 2. n. seq., quia Deus prohibuit etiam ejusmodi desideria conditionata, tum quia effectus ad peccatum aut saltem periculum consentiendi in malitiam Deo oppositam non aberit, tum maxime, quia talis conditio appositae non removet malitiam objectivam, quae satis scitur non posse non esse contra Deum, uti dicitur n. 55. 53.

139.

*Inst. 1.* Ponamus, quòd aliquis invincibiliter putet Deum non existere, & nihilominus habet hunc actum, volo occidere patrem, quod quidem scio esse disconveniens naturæ rationali certus tamen sum non esse contra ullum Deum quia certus sum nullum dari; si tamen daretur aliquis Deus, quamvis ille hoc prohiberet, adhuc occiderem patrem: talis homo etiam peccaret formaliter contra Deum, ergo cum ignorantia invincibili Dei, potest formaliter peccare contra Deum. *Bz.* Dist. consequ., ergo cum ignorantia invincibili & sine cognitione aliqua Dei potest peccari formaliter contra Deum, *n.*, cum ignorantia invincibili, cum aliqua tamen cognitione Dei, potest peccari formaliter contra Deum, subdistinguo, per se & ratione actûs absoluti, *n.*, per accidens & ratione actûs conditionati, *c.*, quamvis enim Deus invincibiliter putetur non existere, tamen quisque scit, quòd per illam opinionem suam non tollatur Deus, qui præter opinionem illam suam existat, talem actum conditionatum prohibuit, ac necessarium illi displicere debet talis comparatio animi, ergo cum Deus semper existat necessarium, non obstante illâ opinione ipsius, semper peccat contra Deum: nihil tale est in illo, qui omnino invincibiliter nihil scit vel cogitat de Deo, neque habet ejusmodi malam comparationem animi.

*Inst. 2.* Non potest dici velle formaliter agere contra illum, quem invincibiliter putat non esse, sed invincibiliter putat Deum non esse, ergo *Bz.* Non potest dici velle formaliter per actum absolutum agere contra eum, quem invincibiliter putat non esse, *c.*, per actum conditionatum, *n.*, & patet ex dictis. §. 4.

§. 4. Peccatum philosophicum est offensa materialis Dei, ut colligitur ex dictis n. 15., quia re ipsa dat Deo rationabile motivum displicentiae, sicuti è contrà qui bene facit ignorans aut nihil cogitans de Deo, re ipsa per hoc dat Deo motivum rationabilis complacentiae, uterque enim ponit à partè rei aliquid secundùm se Deo gratum vel ingratum. *Conf.* quia non solum hoc displicet Deo, quod fit formaliter contra Deum, sed quidquid est malum morale, quamvis fiat contra alium, sicuti alicui Parenti displicet, non tantùm hoc, quod filius facit contra ipsum Parentem, sed etiam quod facit contra alios: consequenter nullum datur aut dari potest malum morale, quod non sit offensa Dei saltem materialis.

§. 5. Moraliter loquendo, fieri non potest, ut homo, saltem qui aliquando Deum cognovit, committat peccatum habens solam malitiam philosophicam; est communis & probatur, 1. quia nemo peccat, quin sciat se peccare, ergo scit, vel se offendere Deum, vel se agere contra rectam rationem; si contra Deum, patet, quomodo peccet Theologicè; si contra rectam rationem, adhuc priùs vel saltem simul cognoscit, ad minimum tenuiter & remissè, se facere contra Deum, faciliùs enim, adeoque priùs excitantur species Dei, à quo participatur & in ordine ad quem solet concipi illa rectitudo rationis, sicuti, inquit *Lugo de Incarn. d. 5. s. 6. n. 103.*, non potes tibi primò imaginari Petrum, quin imagineris vestitum, quia non soles sensu percipere, nisi vestitum. 2. Quia omnis peccans sentit saltem in confuso se ligari, quominus agat omnia, quod

ipsi libet, ergo cum facilius ei occurrat memo-  
 ria Dei quam cognitio propriæ naturæ ratio-  
 nis, semper ei occurreret Deus, saltem confusè  
 sub ratione ligantis libertatem ejus: consequen-  
 ter in tali homine est actualis, quamvis for-  
 non ita perceptibilis cogitatio de Deo, quales  
 de regulis artis suæ habent cytharizantes, qui  
 usu, & tamen re ipsa ex directione artis ludunt  
 aut qualem habent peregrinantes Romam, qui  
 nullum ponunt gressum, nisi ex intentione atti-  
 gendi Romam, quamvis sæpe nesciant se habere  
 re tales actus: unde quamvis sæpe eveniat, ut  
 ciens aliquid nullo modo peccet, quia nullam  
 advertit malitiam, uti si fiat in motu primò  
 mo, vel quando abest omnis planè cogitatio  
 malitia objecti, tamen non fit, ut quis advertat  
 malitiam philosophicam, quin simul sufficien-  
 ter advertat Theologicam: hinc etiam quamvis  
 aliquando, maximè apud rudes, debeat Con-  
 fessarius interrogare, an advertat ad malitiam  
 sui actus, quando nimirum prudens est suspici-  
 quod de ea non sciverit vel non cogitavit, tamen  
 quando scitur pœnitentem advertisse ad malitiam  
 am aliquam moralem, quod communiter præ-  
 sumi debet, quando se de aliquo peccato accu-  
 sat, non est opus interrogare, an advertat ad  
 malitiam, quæ est contra Deum, hæc enim facilius  
 lius & primò illi occurreret; neque tum creden-  
 dum est illi, inquit Lugo, si dicat se non ad-  
 vertisse ad malitiam Theologicam. Atque ob simi-  
 lem rationem diximus n. 23, si Sacerdos vel  
 Religiosus confiteatur se, v. g. per desiderium  
 peccasse contra castitatem, communiter non  
 esse opus interrogare, an cogitavit de suo voto  
 casti-

castitatis, peccans enim scit exercitè & exprimentaliter se esse eum, qui peccat, & quando scit se eum esse, etiam scit se Sacerdotem & Religiosum esse, cum soleat semper ut talem se cognoscere.

§. 6. Malitia philosophica, si daretur, posset esse quandoque gravis quandoque levis, quia si peccatum tale graviter adversetur naturæ rationali, censabitur grave; si leviter, leve: sic homicidium, etiam abstrahendo à lege æterna Dei, est aliquid in se graviter disconveniens naturæ rationali, cum notabiliter perturbet communitatem humanam, publicam quietem & concordiam; econtrà mendacium officiosum non est nisi leviter dissonans à natura rationali, quia dedecet quidem, at tamen nihil infert graviter læsivum communis pacis vel boni publici, ergo abstrahendo à malitia Theologica, haberet peccatum philosophicum in se malitiam, quandoque gravem quandoque levem.

§. 7. Si peccatum purè philosophicum, quantumcumque grave committeretur, probabile est, quòd non mereretur pœnam æternam, sed tantùm aliquam temporalem, ita absolue S. Th. 2. 2. q. 10. a. 3. O., ubi ait, *Si posset esse conversio ad bonum commutabile sine aversione à Deo, quamvis esset inordinata, non esset peccatum mortale, id est, non esset ad mortem animæ, ergo nec ad damnationem æternam.* Sequuntur Gerson, Navarrete, Cuviel, Gonet, Herincx, Bonesp. locis relatis n. 25. Item Suar. hic d. 2. c. 1. Less. Arr. aliique plurimi, estque hæc sententia Lugoni de Incarn. d. 5. n. 73. vise ita communis, ut dixerit vix inveniri, qui oppositum doceant; Unde audiendus non est

*Aversa* hic q. 88. f. 1. dicens suam sententiam  
 nostræ oppositam videri communem; multi-  
 minas *Salas* t. 13. d. 16. f. 21., qui nostram sen-  
 tentiam vocat improbabilem, parùm tutam, pe-  
 riculosissimam in fide ac perniciosissimam, et  
 patet has censuras esse exorbitantes: Ratio est  
 quia peccatum philosophicum nullam in se ha-  
 beret formalē malitiam, etiam secundum quod  
 tantum, infinitam, nam converteret aut ave-  
 teret à bono tantum finito, nempe à natura  
 rationali & creato bono, quod tantum intende-  
 posset; hinc eadem natura rationalis, si ad ipsa  
 spectaret tale peccatum punire, pœnam non  
 finitam in illud decerneret. Dixi, probabile est  
 nam non nego oppositam sententiam etiam  
 probabilem. Ex dictis,

*Inferes.* Si supponamus infidelem decedere  
 solis peccatis philosophicis, cum propter haec  
 non damnandum; sed nec futurum beatum  
 quia propter originale careret gratiâ, ideoque  
 post toleratam pœnam temporalem peccatis  
 philosophicis proportionatam, futurum in  
 statu, in quo sunt infantes sine baptismo in ori-  
 ginali decedentes.

*Objicies.* Deus gratis evexit naturam rationa-  
 lem ad finem supernaturalem, eâ conditione, ut  
 vivat conformiter dictamini rationis veluti re-  
 gulæ proximæ, ne aliter agendo turbet rerum  
 ordinem &c., ergo si homo hunc violet, potest  
 Deus illum perpetuo excludere à suo conspectu  
 ergo punire pœnâ æternâ damni. R. n. ult. seq.  
 quamvis enim Deus non esset illi daturus beati-  
 tudinem, tamen illa privatio non haberet ra-  
 tionem pœnæ ob peccatum philosophicum.

alio

alioquin poena infinita responderet culpæ finitæ, in quo esset impropertio; & cum illud peccatum non esset aversio à Deo, privatio Dei ei respondere non posset.

*Inst.* Ergo nec posset Deus tali homini infligere poenam temporalem, quia ad Deum non spectaret illa offensa. *R. n. seq.*, quis cum Deus sit auctor & custos naturæ rationalis, quod sit contra hanc, præjudicat Deo, hinc ad ipsum spectat pro ratione culpæ contra naturam rationalem commissæ, poenam talem infligere, qualem infligeret natura rationalis, si injuriam sibi factam posset vindicare, sicuti Princeps punire potest injuriam à subdito suo factam alteri, quamvis hæc non esset formalis injuria vel offensa ipsiusmet Principis.

§. 8. Propositio relata n. 49. justè damnata est, 58.  
 1. quia non distinguit inter ignorantiam & advertentiam vincibilem aut invincibilem Dei, & de utraque æqualiter intelligi potest; est autem certum, quòd ignorantia vel incogitantia vincibilis de Deo nõ excuset à peccato contra Deum, uti num. 51. dictum est. 2. Quia absolute dicit peccatum grave philosophicum non esse offensam Dei, cum semper sit offensa Dei saltem materialis, secundum dicta n. 54., & moraliter loquendo etiam semper sit formalis, secundum dicta n. 55. Unde si propositio sic limitaretur, philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat *invincibiliter*, vel de Deo actu non cogitat *insulpabiliter*, nequidem tenuiter & remisse, est grave peccatum philosophicum, sed non est formalis offensa Dei, neque peccatum mortale *Theologicè*, dissolvens amicitiam Dei, neque



æternâ pœnâ dignum, si, inquam, sic limitatur, esset longè alia propositio, nec mereretur censuram, uti constat ex dictis.

59. §. 9. Propositio n. 49. relata non est divisibilis, sed complexiva, id est, secundùm se totam, quia est unica propositio indivisibiliter tendens in totam rem affirmatam veluti objectum adæquatum, quod non ita se habet, quamvis pars prior seorsim fieret vera, si seorsim affirmaret suum objectum, sicuti hæc propositio, *Deus potest cognosci ab hominibus, sed non potest nec debet amari*, quoad se totam est falsa & damnabilis, non tamen quoad singulas partes, nam pars prior, *Deus potest cognosci ab hominibus*, est vera, si seorsim affirmet suum objectum. Posthac per peccatum, intelligemus Theologum.

60. Q. 13. *Quis possit peccare.* R. §. 1. Peccare non possunt, 1. Deus, quia impeccabilitas est perfectio sine imperfectione, quæ necessariò convenit Deo: imò nec Deus potest esse causa peccati, quod nec potest determinare ad illud, nec cum intentione ut fiat, influere in illud, cum repugnet finito bono propriè velle malum, quamvis illud permittere possit ob certos fines. 2. Nec Christus, quia Deus est; nec ejus humanitas, quæ diu manet unita Verbo, tum quia perpetuâ divinatione gaudet, tum quia infinitè sancta est personam Verbum unitum, cui repugnat, quidquid repugnat sanctitati. 3. Nec Beati in sensu compositionis visionis Dei, tum quia non habent cognitionem indifferentem circa Deum, in quo solam bonitatem & quidem infinitam cognoscunt, tum etiam quia necessariò semper amant Deum.

super omnia. 4. Nec creaturæ non cognoscitivæ aut irrationales, cum ad peccandum requiratur cognitio malitiæ, & libertas indifferentiæ circa illam, uti certum est ex dictis n. 13. & 14.

§. 2. Per se & absolute loquendo potest omnis pura creatura rationalis de facto existens aliquo modo peccare, quia nulla talis creatura datur præter Angelum & hominem; Angeli autem aliqui peccarunt & alii peccare potuerunt; similiter homines peccarunt & peccant, ergo. Nec obstat, quod Trid. sess. 6. Can. 23. definiat B. Virginem nequidem venialiter unquam peccasse, nam hoc non fuit inde, quod natura ejus esset impeccabilis, sed ex speciali Dei privilegio, qui eam semper prævenit specialibus auxiliis: imò probabilius est dari non posse creaturam, quæ ex perfectione suæ naturæ non sit capax peccati, quia ex perfectione sua non posse peccare est perfectio soli Deo propria, uti docent SS. PP. apud Maurum l. 3. q. 178. *Aldrete de Incarn. d. 37. s. 3. Recap. de Deo T. 2. l. 2. q. 14.*

Q. 14. Per quas potentias committi possit peccatum. 62.

R. §. 1. In homine ponuntur duæ partes, superior & inferior; pars superior est pars rationalis includens intellectum & voluntatem; inferior est pars sensitiva, in qua sunt 5. sensus externi, item sensus internus seu phantasia & appetitus sensitivus. Pars superior dividitur in Rationem superiorem & inferiorem: Ratio superior est, quæ dirigitur per regulas æternas & divinas; inferior, quæ per regulas temporales & humanas, v. g. per commoditatem temporalem, honestatem naturalem &c. de quibus plura videri possunt apud *Suar. d. 5. s. 3. & Averf. q. 74. s. 4.* qui

rectè docent omne peccatum esse aliquo modo in Ratione superiore, in quantum ad omne peccatum prærequiritur cognitio Dei & legis æternæ, secundùm dicta à n. 15., itemque esse in inferiore, in quantum omnis peccans movetur aliquo bono creato.

63. §. 2. Actus sensus externi & interni aut appetitus sensitivi, item actus intellectus possunt esse denominativè peccata, adeoque hæc potentie sunt subjecta peccati saltem denominativè sumpti, sic enim visio, imaginatio, appetitio carnalis cogitatio rei turpis, hæresis, iudicium temerarium dicuntur esse peccata, si voluntas eos actus imperet vel in illos consentiat.

64. §. 3. Nullius potentie, præterquam voluntatis, actus est in se formaliter peccatum, hinc sola voluntas potest formaliter peccare, uti habet in communis sententia, ut *Suer. n. 2.* dicat oppositam esse improbabilem: *Probatum ex S. August. de vera relig. c. 14. Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non voluntarium; & hoc quidem manifestum est, ut nulli hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat; quare aut negandum est peccatum committi aut fatendum est voluntate committi.* Idem alibi *Sap. dicit*, uti refert *Tann. d. 4. q. 8. dub. 3.* Ratio autem est, quia libertas est de essentia peccati uti constat ex dictis n. 11. 13. 14., sed soli actus voluntatis habent in se formaliter libertatem, quia solius voluntatis est post proposita ab intellectu motiva boni & mali, unum præ altero eligere; intellectus autem, si hæc motiva indifferenter proponat, dicitur radicaliter liber; in quantum autem actus intellectus & aliarum po-

gentiarum etiam accipere possunt ab actu voluntatis denominationem liberi, etiam hæ potentia dicuntur participativè liberæ, non autem formaliter: & specialiter appetitum sensitivum internum non esse formaliter liberum, nec actum ejus dici posse formaliter peccatum, dicitur postea à n. 67., ubi ostendimus concupiscentiam non esse formaliter peccatum. *Conf.* nam si appetitus sensitivus haberet propriam libertatem, ergo per eum peccari posset renitente voluntate, quod est apertè contra *Trid. sess. 5. in decreto de pecc. orig.*, uti referemus n. 73.

*Objicies.* *S. Th. 1. 2. q. 74. a. 3. & 4.* dicit per appetitum peccari, non quidem mortaliter sed venialiter, eò quòd habeat libertatem imperfectam. *R. Mens S. Th.* nobis constat satis ex a. 2. ad 1. ubi ait, *Non peccatur nisi solâ voluntate sicut primo movente, aliis autem potentiis peccatur sicut ab ea motis*: idem docet pluribus aliis locis apud *Gonet d. 5. a. 2. §. 2.* Itaque omne peccatum, quod *S. Th.* tribuit appetitui sensitivo, intelligi debet esse tale denominativè ab actu voluntatis imperante vel consentiente in illud. Ad hoc, quod addit, per appetitum peccari venialiter, non autem mortaliter, varias explicationes referunt *Aversa & Tann. dub. 2.*; sensus esse potest, quòd per actus appetitus, id est, non plenè deliberatos, sed factos abripiente appetitu, qui ideo dicantur esse actus appetitus potius quàm voluntatis, peccari possit venialiter, non tamen mortaliter, quia nempe deest plena deliberatio. Quando in sensualitate admittit imperfectam libertatem, intelligit passivam sive indifferentiam ad plura objecta, uti rectè explicat *Platel. hic*

n. 217., non autem activam ad rationem peccati  
 requisitam, nam *S. Th. a. 4. ad 1.* expressè dicitur  
 etiam in sensualitate posse esse mortale, adeoque  
 & libertatem perfectam, quando nempe actus  
 sensualitatis attribuitur rationi seu voluntati  
 ergo neutro loco intelligit appetitui sensualitati  
 convenire libertatem activam. Quando autem  
 idem *S. Th. a. 2. ad 3.* dicit in potentiis externis  
 non inveniri peccata, putat *Averf. l. 5.* tantum vo-  
 le, quòd actus potentiarum externarum, quando  
 sunt peccata, nunquam attribuuntur potentiis  
 externis, sed soli voluntati, sine qua applicanti  
 nihil malum aguat potentia externæ, cum  
 contra internæ sepe agant prius, quàm à volun-  
 tate applicentur, & in hoc videtur ponere diffi-  
 rentiam, cur in potentiis internis dicatur esse  
 peccatum, non autem in externis.

165. Q. 15. An peccari possit in somno. *Re.* Certum videtur  
 detur, quòd tam intellectus quàm voluntas in  
 somno agant, cum omnia ad agendum requisita  
 habeant, non aliter ac in infantibus, stultis, fu-  
 riosis, ebriis, quos nemo dicit per solam phan-  
 tasiam & appetitum sensitivum operari: De in-  
 tellectu quidem probat experientia, quia, quòd  
 quid contradicat *Ant. Perez de vitiis d. 2. c. 6.*  
 in somno componuntur novi versus, formantur  
 tur boni discursus, fiunt actus comparativi  
 nius objecti cum altero, item perfectè reflexivi  
 super hoc ipso, v. g., quòd quis non dormiat  
 quòd nunc cogitet hoc vel illud: Similiter vo-  
 luntas fertur in objecta merè spiritualia, quae  
 solo intellectu proponi possunt & à sola volun-  
 tate appeti; deinde cognoscitur etiam bonitas  
 malitia moralis, non tantum in communi, in

vult Palav., sed etiam in particulari, ideoque etiam voluntas in hanc aut illam sæpe fertur amando vel fugiendo, uti eadem experientia probat, atque ex hoc colligunt ascetæ aliquem multum profecisse in victoria alicujus vitii, si etiam in somno ejus turpitudinem aversetur. His tamen non obstantibus dicendum est cum communi, nullo modo peccari in somno; Ratio est, quia ob vim phantasie, quæ ligatis sensibus maxime dominatur, deest dormientibus ex parte intellectus, consultatio in utramque partem, prærequisita ad libertatem, imò & judicium aliquod certum, quia ratio tum nimium fluctuat, nec sat firmè consistere potest in aliquo objecto dijudicando; & hoc est, quod dicit S. Aug., quem citat S. Th. 2. 2. q. 154. a. 5., ubi ad 2. ait, *Secundum quod vires sensitivæ magis vel minus opprimuntur à somno propter vaporis turbulentiam vel puritatem, secundum hoc usus rationis magis vel minus impeditur in dormiendo, semper tamen, quantum ad aliquid, impeditur, ut non possit omnino liberè judicium habere.* Ex parte voluntatis autem, ob vehementiam appetitus sensitivi, qui tum potentissime trahit, deest expedita facultas hoc vel illud præeligendi. Et utrumque colligimus à posteriori, nam post somnum, imprimis advertimus intellectum plerumque in discursibus suis ex aliqua parte errasse, ergo signum est, si aliquando non erret, id potius casu fieri, quam ex potentia firma sic rectè operandi: & sic quoque fit in infantibus, stultis, furiosis, ebriis, qui aliquando prudenter loquuntur, quos tamen nemo dicit in tali statu sufficienter dijudicare posse bonum à malo: deinde experimur nos vigiles nunquam sole-

re in talia consentire, hinc illa statim post  
 omnium detestamur, ergo signum est non adesse  
 somno libertatem requisitam ad ageandum hu-  
 mano modo, idque probat etiam consensus o-  
 mnium hominum, qui aliquid in somno factum  
 non imputant ad culpam vel pœnam, meritum  
 vel demeritum, nisi fortè propter causam an-  
 positam. Quòd si aliquando fuerit in somno pl-  
 ne & constans ratio vel libertas, uti aliqui di-  
 cunt de Salomone & B. Virginæ, hæc sunt facta  
 per extraordinarium concursum Dsi & per spe-  
 ciales dispositiones in sensibus & organis à Deo  
 causatas.

## DUBIUM II.

*An & quando desideria & delectationes sint  
 peccata.*

» **P**ER desiderium intelligitur voluntas, inten-  
 » tio, vel propositum efficax rei malæ: pro  
 » delectationem verò, simplex amor & comple-  
 » centis objecti cogitati, fruendo ejus dulcedine  
 » absque desiderio executionis: soletque dici mo-  
 » rosa, non à mora temporis, cum momento  
 » possit perfici; sed quòd voluntas, post plenam  
 » advertentiam rationis, ei immoretur.

## ARTICULUS I.

*Quale peccatum sit desiderium malum.*

» **R**ESP I. Desiderium absolutum, sive cogita-  
 » tio cum voluntate consentiente absolutè

in peccatum aliquando perpetrandum, aut in  
perpetrato complacente, habet eandem spe-  
ciem ac malitiam peccati mortalem, vel venia-  
lem, quam habet actus exterior, in quem fertur.  
Est communis, & constat ex *Matth. 5. Qui vide-  
rit, &c.* Ratio est, quia actus interior habet suam  
bonitatem & malitiam ab actu externo, tan-  
quam objecto. Ita commun.

Resp. II. Desiderium cum consensu conditio-  
nali, quo quis aliquid concupiscit, sub tali con-  
ditione, quæ omnem malitiam objecti auferat,  
non est peccatum, saltem mortale: v. g. velle  
prædari, si à Deo mihi permetteretur; si Judex  
essem, malefactorem istum occiderem. *Valent.  
To. 2. d. 6. q. 4. p. 4. Sayrus, Salas in 1. 2. tra. 13. d.  
16. f. 27. Vasq. 1. 2. d. 116. c. 2.* Si verò conditio  
malitiam non auferat, est peccatum: ut v. g. si  
cogites, si non esset infernus, mœcharer; si non  
essem Religiosus, fornicarer; si non haberem  
rationem mei status, ulciscerer, occiderem te.  
Item, si id mihi fecisses in adolescentia, vel an-  
tequam Religionem ingrederer, vindicarem,  
(intellige, si dum hæc dicit, habeat affectum  
vindictæ sumendæ, si esset in tali statu, secus e-  
nim est, si tantum ostendat, quid facturus fuisset  
in alio statu) *Bon. de Mat. q. 4. p. 8. n. 9.* Ra-  
tio responsionis est, quia etsi consensus condi-  
tionatus nihil ponat in rerum natura ex parte  
objecti voliti, in voluntate tamen ponit affe-  
ctum committendi illud peccatum, præcisâ  
conditione non auferente malitiam; ac proin-  
de talis erit culpa, qualis esset illud amare abs-  
que conditione, *Cajet. Sanch. 1. mor. c. 2. Vasq. Lay  
1. 1. t. 3. 6. 6. n. 10.* Ex quibus resolvuntur hi Casus:  
I.



I. In omnibus, solo jure positivo prohibito  
 licitum est desiderium cum conditione hac  
 prohibitum non esset, v. g. ederem carnes die Ven  
 ris, si Ecclesia non vetuisset. Ratio, quia cond  
 itio omnem malitiam, quæ à sola prohibition  
 est, aufert. Azor l. 4. c. 6. q. 10. Sanch. l. 2. c.  
 Vasq. cap. 2.

II. Idem valet in prohibitis quidem jure  
 naturali, licitis tamen in aliquo casu aut statu, si  
 pro conditione apponatur, v. g. occiderem  
 trum, si Deus mandaret: suspenderem furem  
 si essem Judex; ducerem uxorem, si liceret,  
 non essem Sacerdos, si essem liber à voto. Ra  
 tio, quia hæc sub illo statu sunt licita. Rectè  
 men monet Sa V. Peccatum, hujusmodi deside  
 ria esse periculosa, & vitanda, atque, ut ait O  
 jetan. ibidem, esse fatuas & diabolicas tentati  
 ones, Lay. supra.

III. Et si idem quidam, ut Caj. Sal & Vasq. u  
 versim affirmant de omnibus jure naturæ,  
 simpliciter prohibitis, si conditio impossibi  
 apposita tollat rationem peccati ab objecto,  
 si dicas, si non esset peccatum, fornicarer,  
 quod tunc consensus non videatur ferri in ma  
 lum; probabilius tamen videtur, quod doc  
 Azor, Sanch. & Lay. esse peccatum; eò quod  
 intrinsecè malum; nec malitiâ suâ (quæ in con  
 sensum circa tale objectum traheret, nisi D  
 lex arceret) exui possit; ideoque voluntas fer  
 tur in malum. Quod tamen intellige, si efficac  
 ter feratur, quia si tantùm sit significatio pro  
 pensionis naturalis in illud objectum, non  
 peccatum. Sanch. l. 1. moral. c. 2. n. 25. Laym. n.  
 V. Lugo de Pœn. d. 16. à n. 376.

IV. Gaudere & delectari de opere malo, sub conditione, si liceret, v.g. in prædictis desideriis efficacibus illicitis, quando conditio est possibilis, etsi possit excusari à peccato, secundum quosdam Doctores, si fiat tantum secundum appetitum rationalem sive voluntatem, secluso omni alio periculo consensûs illiciti & turpis motûs; (qui tamen quia communiter & connaturaliter sequitur, vix tutum videtur in praxi) non potest tamen excusari, si sit delectatio voluntaria appetitûs sensitivi, quæ propriè delectatio dicitur, fitque communiter cum aliqua alteratione corporis. Ratio discriminis est, quia voluntas potest ferri in objectum abstractum à malitia, cum sequatur intellectum, cuius est abstrahere; appetitus verò, quia sequitur imaginationem, non fertur in objectum sub aliqua certa conditione statûs vel temporis apprehensum, sed ut est in se; ideoque talis delectatio est de objecto absolutè malo. V. Lay. & Bon. de Mat. q. 4. p. 8.

## A D D E N D A.

Q. 16. An concupiscentia sit peccatum vel causa peccati. R. Hæc quæstio accuratiùs tractanda est contra Bajum & Jansenium, qui dixerunt omne, quod est à concupiscentia, esse peccatum: & imprimis supponenda sunt aliqua, deinde explicandum, quid re ipsa & physicè sit concupiscentia, ac tum faciliè erit respondere ad quæstionem propositam.

§. 1. Concupiscentia, habet multas significaciones, nam aliquando significat 1. actualem appetitum boni, sic Sapient. 6. laudatur concupiscentia

scientia

scientia sapientia, utique tanquam bona & honesta. 1. Potentiam appetitivam bonorum sensibilem, & sic etiam non est mala, cum sit futura in beatis, quos etiam delectabunt bona sensibilia suum. 3. Id, per quod ferimur in bonum sensibile contra rectam rationem, & de concupiscentia in hoc sensu procedit questio: sic autem sumpta quandoque significat potentiam, quandoque actum; sumpta pro potentia alio nomine dicitur fomes peccati, & est inclinatio radicalis in bonum delectabile contra rationem: sumpta pro actu, est motus aliquis seu inclinatio actualis illius potentia, tendens in bonum delectabile contra rationem: ad vitandam autem confusionem, per concupiscentiam plerumque intelligemus potentiam, nisi aliud colligatur ex circumstantiis.

68. §. 2. Suppono hominem potuisse à Deo creari in pura natura, id est, sine ullo dono gratuito cum solis perfectionibus naturalibus, natura enim de se est bona, ergo secundum se creabilis à Deo; & cum dona gratuita sint gratia, non sunt debita, ergo sine eis creari potuit natura. Ideo Pius V., Greg. XIII. & Urb. VIII. damnarunt sequentes Baji propositiones, 26. Integritas primæ creationis non fuit debita humanæ nature essentiali sed naturalis conditio. 55. Deus non potuisset in initio talem hominem creare, qualis nunc nascitur. Homo autem sic in puris naturalibus constitutus &c. habuisset animam cum suis potentiis spiritualibus, item corpus cum facultatibus sensibilibus & naturalibus earum inclinationibus, ut fuse ostendit Suarez in prolog. 4. de gratia c. 2. de peccat. d. 9. s. 2. 5. cum enim in ea supponitur

fitione fuisset futura eadem natura, quæ nunc  
 est, habuisset easdem potentias & facultates na-  
 turalis, hinc pura natura includeret pugnam  
 appetitûs contra rationem, nam cum delectabi-  
 lia naturaliter plus trahant, & è contrâ omnis o-  
 peratio virtutis sit difficilis, naturale est, ut ap-  
 petitus sensitivus, qui tendit in solum objectum  
 delectabile, pugnet cum ratione, quæ abducit à  
 delectabilibus sensuum ad honestatem virtutis.

§. 3. Præterea supponendum est cum *Suar. de* 69.  
*Opere 6. dier. l. 3. c. 17. n. 9.* Adamum, ante-  
 quam peccaret, habuisse gratiam, imò primo in-  
 stante suæ creationis fuisse sanctificatum per gra-  
 tiam & habitus supernaturales, deinde accepisse  
 à Deo cætera dona, quæ simul cum gratis & do-  
 nis supernaturalibus constituiebant statum inno-  
 centiæ & iustitiæ originalis, quæ dona præcipue  
 erant immunitas ab errore, à veniali, à morte, à  
 miseriis vitæ & passionibus supponantibus ma-  
 lum, uti refert *Suar. in proleg. 4. de gratia c. 3.*  
 quemdiu autem fuit hic status innocentie, tam-  
 diu pars hominis superior perfecte subiecta erat  
 Deo, & tum quoque pars inferior per speciales  
 Dei gratias & dona perfecte subiciebatur supe-  
 riori, ita ut nullus pravus motus concupiscen-  
 tiæ posset libertatem voluntatis prævenire, uti  
 probat *Suar. in op. 6. dierum l. 3. c. 12.*, sed su-  
 perveniente peccato originali, per quod pars su-  
 perior se opposuit Deo, factum est consequenter,  
 ut subtractis illis Dei gratiis & donis pars infe-  
 rior sibi relicta pugnet contra superiorem, quod  
 facis experimur, & notat Apostolus ad Rom. 7.  
*Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati:*  
*de ad Galat. 5. v. 7. Caro enim concupiscit adver-*

sus spiritum, spiritus autem adversus carnem, hæc  
sibi invicem adversantur: hinc S. August. l. 1. de peccat. remiss. ait, quando ergo peccavit Adam, tunc  
corpus gratiam perdidit, quæ ejus animæ omni ex  
obediabat.

70. §. 4. Concupiscentia non est nec includit morbidam aliquam qualitatem, per quam homo inclinetur ad solum bonum iahonestum, ita  
larm. de amiss. gratiæ l. 5. c. 15. Suar. prolog. de gr. c. 8. à n. 11. Requesenius in select. qq n. 1. Maurus l. 5. q. 37. n. 26. aliique communiter  
Prob. 1., quia talis nunc secundum naturam nascitur homo, qualis fuisset in statu puræ naturæ in quo habuisset concupiscentiã & non habuisset illam morbidam qualitatem, ergo concupiscentia non est nec includit illam morbidam qualitatem. Min. constat ex n. 68. & magis firmabitur n. 71., & asseritur ab adversariis morbidam qualitatem supervenisse per peccatum originale. autem etiam probatur, cum ex damnatione post. 55. Bajanz, Deus non potuisset talem abireare hominem, qualis nunc nascitur, cum ex Trid. 5. in decreto de pecc. orig., ubi loquens de damnatione per peccatum facta in homine, meminit tantum de amissione justitiæ & statûs originariæ perfectionum ex ea provenientes: Et idem dicunt SS. PP., Evubuerunt primi parentes post peccatum, inquit S. Aug. l. 2. de nupt. & concup. quando post inobedientiam suam inobediencia mensensuerunt, quia amiserunt donum integritatis. l. c. 6. Homo inobediencia suæ malum sensit, quando ubi retributam dignissime inobediencia suæ carnem venit. Et l. 5. contra Julian. c. 3. Concupiscentia peccati est, quia reddita est meritis inobediencia,

ex mente Ecclesie & PP. talis nunc quoad naturam nascitur homo, qualis fuisset in statu puræ naturæ. 2. Hæc qualitas non est acquisita per actus proprios, ut patet, cum infantes ante omnes suos actus habeant concupiscentiam: nec est impressa nobis & causata demeritorie per peccatum Adami, quia posterius per inobedientiam Adami tantum incurrerunt privationem donorum gratuitorum, sicuti per illius obedientiam illis collata fuissent sola dona gratuita, hinc S. Hier. apud Suar. de pecc. d. 9. f. 5. n. 3. ait, nos hoc perdidisse in Adamo, quod recepimus in Christo, in quo recepimus sola dona gratuita; Et ratio est, quia pactum cum Adamo fuit tantum de transfusione bonorum indebitorum, ergo peccatum Adami non merebatur impressionem talis qualitatis. 3. Si per originale contraheretur talis qualitas, ergo pueri decedentes in solo originali haberent eam, & per eam postea actus inordinatos in resumpto corpore, ut alii homines, consequens est contra S. Th. q. 5. de malo a. 3. in corp., ubi docet eos non esse habituros actum inordinatum, & in 2. dist. 33. q. 2. in corp. & ad 5. dicit eos non fore separatos à Deo, quantum ad separationem naturalium bonorum, sed de Deo gavisuros naturali cogitatione ac dilectione. 4. Talis superaddita qualitas est frustranea, quia sine ea habetur concupiscentia, ut iam dicitur.

§. 5. Concupiscentia, physicè loquendo, est entitas appetitus sensitivi, cum negatione perfectæ subordinationis ad rectam rationem. Hæc videtur esse mens S. Th. q. 4. de malo a. 2. ad 4. *Concupiscentia est ipsa pronitas vel habitus ad concupiscendum.*

piscendum, quæ est ex hoc, quòd vis concupiscibilis  
 perfectè subditur rationi, sublato freno originalis  
 stititæ: Et probatur, nam includit entitatem app  
 titûs sensitivi, qui sufficienter est radix inelicit  
 tionis ad bonum delectabile, exclusâ qualitate  
 superadditâ; non est tamen sola entitas app  
 titûs, cum hæc sine concupiscentia fuerit in Ch  
 sto & in Adamo pro statu innocentie, ac etiam  
 futura sit in cælo, ergo præter illam debet  
 quid includere, habitâ autem simul negatione  
 perfectæ subordinationis ad rectam rationem  
 quam subordinationem in statu innocentie  
 habent gratiæ & specialia Dei dona, jam habet  
 radicalis inclinatio ad bonum delectabile con  
 tra rationem, secundùm dicta n. 68. & 69., et  
 in his duobus physicè consistit concupiscentia

Obji. 1. SS. PP. dicunt Angelos non esse  
 neratos in naturalibus sed solos homines. Sim  
 liter Trid. suprâ dicit hominem in deterius  
 commutatam, ergo cum homini nulla potestas  
 naturalis sit sublata, debet aliquid defectuosum  
 esse impressum. Conf. nam S. Aug. & S. Th. apud  
 Maurum. n. 31. clarè admittunt talem mort  
 dam qualitatem naturæ superinductam. R. T  
 tum volunt perdita esse dona gratuita, per qu  
 pars inferior non poterat reluctari superiori,  
 rectè Suar. prolog. 4. de gr. c. 8., quod vulgè  
 non est in Angelis, in quibus defectu appetitus  
 non poterat esse rebellio partis inferioris contra  
 superiorem. Ad Conf. vocari à S. Aug. mort  
 dam qualitatem vel affectum, re ipsa autem est  
 ipsam naturalem inclinationem sensualitatis  
 riatam, non per positivam tabem, sed ex caritate  
 tia justitiæ originalis: & eodem modo S. Th.

q. 82. a. 1. vocat peccatum originale habitum corruptum, in quo sit aliquid positivum, ipsæ videlicet potentie animæ non bene dispositæ, & aliquid privativum, nimirum deordinatio ex carentia iustitiæ Originalis.

Obji. 2. Est nunc pœna peccati habere talem concupiscentiam, ergo debet esse aliquid plûs quàm appetitus & negatio donorum gratuitorum. R. Est pœna ratione sui, n., ratione denudationis à donis gratuitis, c. ant. & n. conseq. Quod ratione sui non sit pœna, patet, nam fuisset in statu puræ naturæ, uti n. 62. dictum est, nec tamen in illo fuisset pœna peccati, quod tum potuisset abesse, & ideo S. Aug. l. 3. de lib. arbitr. c. 20. ait hanc spoliationem doni gratuiti esse pœnam, non quia homo factus est malus, sed quia in pœnam peccati desit esse melior: unde rectè infert Suarez. de pecc. d. 9. s. 5. n. 7., hominem in parâ naturalibus & hominem nunc, quoad hoc punctum, non aliter differre, quàm sicuti homo nudus differt à denudato: quod autem consequentia non teneat, patet in simili, nam mors est nunc pœna peccati, & tamen eadem naturaliter obvenisset in statu puræ naturæ, nec fuisset pœna peccati.

§. 6. Certum est concupiscentiam esse causam peccati, nam Jacob. 1. v. 14. dicitur, unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus; & probat experientia, quia ex concupiscentiæ motibus sæpe fiunt peccata, quæ non fierent, si illi abessent: quamvis enim concupiscentia directè non agat in voluntatem, tamen variè eam ad peccatum trahit, imprimis obnubilando intellectum, qui dum sentitur vehemens delectatio,



tio, rapitur ad considerationem illius boni  
 sensibilibis, & impeditur à consideratione honeste  
 oppositæ: Deinde dissipando vires animæ, quæ  
 vehementiore motu sensibili distracta, infirmum  
 est ad formandum vel audiendum rectæ ratio-  
 nis iudicium: Denique propter sympathicam  
 quandam inclinationem partis superioris ad  
 inferiorem, cum enim intellectus omnia cognoscit  
 dependenter ab imaginatione, sicuti quod præ  
 imaginatio, naturaliter sequitur intellectus,  
 quod præit appetitio, naturaliter amat sequi  
 luntas.

73. §. 7. Concupiscentia non est formaliter pec-  
 catum. Pater, quia concupiscentia remanet post  
 Baptismum, qui tamen tollit omne hoc, quod  
 est peccatum, uti definit Trid. supra his verbis  
 Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fructum  
 eam, hæc S. Synodus fatetur & sentit, quæ cum  
 agonem relicta sit, nocere non consentientibus sed  
 ter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non  
 hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus  
 catum appellat, S. Synodus declarat Ecclesiam Ca-  
 licam nunquam intellexisse peccatum appellari,  
 verè & propriè in venatis peccatum sit, sed quia ex-  
 cato est, & ad peccatum inclinat: Si quis autem con-  
 rium senserit, anathema sit. Idem constat ex  
 mnatione propositionis 14 Bajanz, Concupis-  
 tia carnis in venatis relapsis in peccatum mortale  
 quibus jam dominatur, peccatum est. Idem tenet  
 pressè S. Aug. L. de nup. & concupif. c. 13. Con-  
 cupiscentia vocatur peccatum, quia peccato facta  
 sicuti vocatur lingua, locutio, quam facit lingua. Idem  
 habet pluribus locis apud Bonæ-Spei de pecc. d.  
 d. 2. Eandem veritatem probat Bellarm.

C. 7. & seqq. Ratio autem jam est infirmata, quia concupiscentia non est de se mala, imò posset esse à Deo, qui secundùm dicta n. 68. potuisset creare hominem in pura natura, qui à Deo habuisset concupiscentiam.

*Respondet Novis, apud Reques. n. 221.* Deum potuisse creare hominem cum concupiscentia, sed non cum prædominio contra rationem, nec cum inclinatione appetitûs ad inhonesta, præponderante contra inclinationem voluntatis ad honesta, uti nunc fit. *Contra* est, quòd malè supponatur concupiscentiam ratione Originalis præcisè ita vehementer inclinare, si enim in quibusdam hominibus fortiùs inclinet, præsertim ad peccata carnis, est, vel ratione peccatorum personalium, quæ commiserunt, vel ratione malorum habituum, quandoque etiam sine formali peccato acquisitorum, sic enim innocentes pueri, perpetuo amentes, invincibiliter ignorantes malitiam, inducti per alios, aut qui aliter assuescerunt naturam ad talis, vehementer inclinantur ad ista peccata: Est quoque non rarò major in uno quàm in alio inclinatio ad quædam vitia, ob diversitatem organorum vel temperamenti: De cætero concupiscentia, quantum est ratione Originalis, licet naturaliter plùs inclinet ad objectum delectabile, quod est affinius inhonesto quàm honesto, tamen manet sub potestate rationis, ut coerceatur, & sæpe sine magna difficultate, uti patet in plurimis hominibus, qui innocenter educati, etiam postea, quando natura est apta generationi, vix sentiunt ullos stimulos, usquedum infelicitè de his audiunt aliquid vel casu experiantur.

*Obji. 1.* Quod est contra rectam rationem, peccatum, sed concupiscentia est contra rectam rationem, ergo. R. n. min., nam tantum est dix actuum, qui sunt contra rectam rationem, unde sicuti homo incitans, aut habitus inclinans ad peccatum, non ideo sunt peccatum, ita concupiscentia.

*Inst. 5.* Aug. contra Julian. l. 5 c. 3. ait, Concupiscentia carnis, adversus quam concupiscit bonus virus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis, & poena peccati R. Intellectus esse radicaliter peccatum, propter actus, qui causat, & sunt peccatum, si voluntas consentit.

*Obji. 2.* Concupiscentia est formaliter mala, quia contradicit rectitudini naturae rationali, ergo est peccatum. R. Formaliter contradicit rectitudini n., radicaliter c., sed non ideo formaliter peccatum, sed tantum causa peccati secundum dicta n. 72.

*Inst. 1.* Concupiscentia est materia pudoris, uti habet S. Aug. De rupt. & concupis. l. 1. c. 1. ergo est formaliter mala. R. Concupiscentia sumpta pro potentia, est materia pudoris, sumpta pro actu, c., sic pudet nos peccati, non potentiae peccandi.

*Inst. 2.* Melum est, quod expugnatur, uti habet S. Aug. contra Julian. l. 3. c. 3., sed homo debet expugnare concupiscentiam per continentiam, ergo. R. Homo debet expugnare actus inordinatos concupiscentiae, non autem potentiam concupiscendi; & eodem sensu ratio expugnat voluntatem, faciendo ne consentiat in actus malos.

*Inst. 3.* Concupiscentia ob nullum finem bo-

num expeti potest, ergo est culpa, si enim esset tantum poena, omnis poena potest ob bonum finem expeti. R. Concupiscentia expeti posset ad pugnam, victoriam & majus meritum. Sed etiam falsum est omnem poenam posse expeti, nam ignorantia eorum, quæ ad salutem sunt necessaria, est poena, nec tamen potest expeti: & idem est de damnatione æterna.

*Inst. 4.* Conscientia & concupiscentia pugnant inter se, sed duo bona inter se non pugnant, ut habet S. Aug. l. 4. contra Julian. c. 13., & l. 5. c. 7. ait, Nulla pugna est sine malo, sed quando pugnatur, aut bonum pugnant & malum, aut malum & malum, aut si duo bona pugnant, ipsa pugna est magnum malum, sed conscientia est bona, & pugna conscientie contra concupiscentiam non est mala, ergo concupiscentia est mala. R. n. min., nam bonum virginitatis & conjugii, bonum paupertatis & proprietatis pugnant; similiter pugnant potentia amandi & potentia odiendi Deum, & tamen nihil horum est malum: si vis, distingue, pugna inter duo bona est mala, pugna actualis contra præscriptum potentie, cui debet obedire, & pugna radicalis seu potentia pugnandi, data cum subordinatione, ut inferior potentia obediat superiori, n.

*Inst. 5.* Omnis potentia ideo est bona, qui habet saltem aliquos actus bonos, sed concupiscentia nullos habet actus bonos, quia S. Aug. supra l. 4. c. 1. docet concupiscentiam in Sanctis nullos actus bonos exercere, ergo. R. i. n. maj., quia per hoc potentia est bona, quod possit habere actus bonos; sic voluntas demonum in se bona est, licet nullos actus bonos habeat: sicuti

autem voluntas dæmonum potuit habere ad  
 bonos in statu viæ, ita concupiscentia saltem  
 in statu puræ naturæ. R. 2. n. min., nam concu-  
 piscencia inclinatur ad delectabile, honestum vel  
 inhonestum; si enim obediatur rationi, inclinatur  
 ad delectabile honestum, si non obediatur, ad in-  
 honestum, quamvis ex natura sua magis inclinatur  
 ad inhonestum, quia delectabile plus habet  
 inhonesto.

*Obji. 3.* Quod est prohibitum & tamen datur  
 est peccatum, sed concupiscentia prohibetur  
 tamen datur, ergo. *Prob. min.*, Est prohibita, quia  
 causa mali eadem lege prohibetur, quæ malum  
 ipsum. R. 1. Si argumentum valet, ergo volun-  
 tas est peccatum & prohibita, quia est causa pec-  
 cati, quod est prohibitum. R. 2. Motus concu-  
 piscencie sunt prohibiti, ita ut non liceat in eos  
 consentire, c, ita ut non liceat eos pati, n, ergo  
 pariter causa eorum est prohibita, ita ut non  
 liceat eam ordinare ad illos motus, c, ita ut non  
 liceat eam causam pati vel habere, n.

*Obji. 4.* Christus assumpsit omnes humanas  
 naturæ miseras, sed absque peccato, ad Hebr.  
 atqui concupiscentiam non assumpsit, ergo haec  
 non est miseria naturæ sed peccatum. R. Christus  
 duas miseras non assumpsit, nempe ignorantiam  
 & concupiscentiam, uti notat S. Aug. super  
 l. 5. c. 9., cuius rationem dat S. Th. 3. p. q. 15. a.  
 2. & 3., tum quia istæ duæ miseriæ non prode-  
 rant ad finem ejus, qui erat redemptio huma-  
 num quia oportebat Christum esse plenum veritatis  
 & sanctitatis, quibus duobus donis repugnabant  
 ignorantia & concupiscentia. Similiter  
 quando dicitur voluisse per omnia tentari, intelli-

lige accommodè, per omnia illa, quæ non dede-  
cebant personam Redemptoris.

§. 8. Nequidem actus, quos causat concupi-  
scentia, sunt peccatum, nisi voluntas consentiat. 74.  
Est contra plurimos hæreticos, quibus favet  
Jansenius T. 2. l. 2. c. 14., hinc in indice hujus lo-  
ci ponitur, Concupiscentiæ motus indeliberati sunt  
peccata; & loco cit. dicitur, Desideria peccatorum  
non tantum deliberata, sed etiam talia, quæ rationem  
antevertunt, sunt mala, turpia, illicita &c. Alii  
apud Tann de pecc. d. 4. q. 8. dub. 3. dicunt tunc  
saltem esse peccata; quando ab imaginatione  
causantur: sed contra illos omnes est Trid. rela-  
tum n. 73. Item damnatio harum propositio-  
num Baji. 50. Prava desideria, quibus ratio non con-  
sentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita  
præcepto, non concupisces. 51. Concupiscentia sive lex  
membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sen-  
tiunt homines, sunt vera legis inobedientia. 75. Motus  
pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati, pro-  
hibiti præcepto, non concupisces, unde homo consentiens  
& non consentiens transgreditur præceptum, non con-  
cupisces, quamvis transgressio in peccatum non depute-  
tur. Idem constat ex damnatione prop. 7. ab  
Alexand. VIII. Omnis humana actio deliberata est  
Dei dilectio vel mundi; si Dei, Charitas Patris est;  
si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est. Idem  
docet S. Aug. contra Julian. l. 6. c. 5. Parens est  
concupiscentia, partus peccatum, sed concupiscentia non  
parit, nisi conceperit, non concipit, nisi intellexerit,  
hoc est, ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis  
consensum. Et de civit. l. 1. c. 25. Quanto magis  
concupiscentialis inobedientia absque culpa est in cor-  
pore non consentientis, si absque culpa est in corpore dor-  
mientis?

mientis?

mentis? Idem repetit Epist. 100. Et S. Bern. in  
intern. domo, c. 8. Non nocet sensus, ubi non est  
sensus. Similiter S. Greg. Homil. 16. in Evang.  
ait per tria deveniri ad peccatum, suggestionem  
delectatione, consensu. Ratio data est à n. 61  
quia solâ voluntate peccatur, nec voluntas habet  
despoticum imperium in omnes potentias  
nam impedire nequit actus phantasiæ, quam  
am demon movere potest; nec semper actus  
intellectus, quia saltem primæ cogitationes  
sunt in potestate nostra; ad imaginationes autem  
& cognitiones sequuntur necessitate naturæ  
appetitiones sensitivæ, & consequenter con-  
mationes aliquæ effectus, etiam reniteate vo-  
luntate, uti docet Apostolus n. 69. relatus, &  
perientia probat, ergo talia non possunt esse  
peccata.

75. *Obi.* 1. Cujus causa est voluntaria, hoc  
voluntarium, sed causa horum motuum est  
liberæ voluntaria, ergo etiam hi motus. *Prob.* m.  
causa horum motuum est concupiscentia, sed  
concupiscentia est nobis voluntaria, ergo. *Pro*  
*min.* Concupiscentia est poena peccati originalis  
cui autem peccatum est voluntarium, illi etiam  
voluntaria est poena, sed peccatum originale fuit  
nobis voluntarium, ergo. Hic est Achilles Jan-  
senis, quem stravit Alexand. VIII. damnans hanc  
s. prop. in statu nature lapsæ ad peccatum mortale  
& demeritum sufficit illa libertas, quâ voluntarium  
liberum fuit in causa sua, peccato originali & voluntate  
re Adam peccantis. Unde, R. 1. Si argumentum  
valet, ergo mors omnium quoad corpus, æquiva-  
le poena peccati Originalis, fuit voluntaria  
Adam & nobis, ergo Adam & quisque nostrum  
est

est quo ad corpus homicida sui ipsius. *R. 2.* Cujus causa est voluntaria voluntate propria, hoc est voluntarium, transeat, voluntate aliena, n. intendunt autem adversarii probare, quod tales motus sint personaliter voluntarii, ideoque sint in nobis peccata personalia actualia, quod implicat, quia repugnat peccato personali esse voluntarium voluntate aliena, cum per hoc differat personale ab originali, uti ex *S. Aug. & S. Thoma* observat *Suar.* De pecc. d. 5. l. 4. n. 4. Dixi, transeat, quia quamvis sit voluntaria, si tamen effectus non fuit in ea intentus vel praevisus, non ideo est voluntarius, uti dictum est à n. 30. Jam verò patet illos effectus non esse à nobis praevisos, nec forsan ab Adamo, aut si ab hoc praevisi sint, tamen voluntas Adami non erat moraliter nostra in ordine ad hoc, ut faceret omnes illos effectus nobis voluntarios.

*Obji. 2.* Motus illi sunt contra praeceptum, *Non concupisces*, hinc *S. Aug.* de Sp. & litt. c. ult. dicit praeceptum illud non posse in hac vita servari. *R. n. antec.*, nam praeceptum illud prohibet non concupisci voluntarie & liberè, cum debeat esse de materia possibili. *S. Aug.* tantum vult non posse servari in hac vita quoad finem à lege intentum, qui est perfecta tranquillitas animæ & liberatio ab omni inordinato motu, hanc autem statum prius obtinebimus in caelo.

*Inst.* Negari non potest, quod motus illi sint mali. *R.* Sunt mali, non formaliter, sed obiectivè, id est, non possunt esse objectum honestæ prosecutionis vel complacentiæ, uti nec homicidium ab ebrio factum, quamvis faciens aut

passi-



patiens non ideo in conscientia aut coram Deo  
peccet.

Circa delectationem de objecto à malitia  
eius, aut si per conditionem separetur malum  
addentur plura q. seq.

## ARTICULUS II.

*An delectatio morosa semper sit peccatum.*

76. **R**esp. Si terminetur ad cogitatum opus  
lum secundum se, est peccatum mortale  
vel veniale, prout ipsum opus mortale  
veniale est. Ita comm. ex D. Thom. 1. 2. q. 87. a.  
Dixi, secundum se quia si delectatio sit tantum  
de ipsa cogitatione, non autem de opere, non  
est peccatum, quia sicut cogitatio, v. g. de re  
obscœnis, in ordine ad doctriam vel con-  
nem &c. bona est, cogitatio autem de iis  
rebus ex curiositate, est mala venialiter, ita co-  
sequenter, delectatio de tali cogitatione tan-  
quam objecto, non est mala, sed quandoque  
bona, quandoque venialiter mala. Similiter  
peccatum erit, si delectatio versetur circa ma-  
lum malè operandi, non circa ipsum opus ma-  
lum, quo modo sine peccato sapienter delectatur  
fabulæ, comœdiæ, bella, homicidia, fraudes  
furta, lapsus hominis, v. g. ex equo &c. non  
secundum se, sed modus furandi, rapiendi, ac-  
ficiosus & industrius, modus cadendi inopinatus.  
Laym. l. 1. t. 3. c. 6. n. 2. Ex quibus resolv.  
1. Licitum est gaudere, & delectari morose  
de effecta bono, secuto ex opere malo, quod  
tunc delectatio non est de objecto malo.

II. Si talis effectus secutus sit ex opere secun-  
dum se quidem malo, hic tamen & nunc culpa  
vacante, ut v. g. quia factum est in somno amen-  
tia, ebrietate, inculpabili ignorantia, tunc etiam  
de ipso actu licere aliquando delectari, non qui-  
dem secundum se, sed ut est causa talis boni ef-  
fectus, docent *Less. l. 4 c. 3. n. 105. & 106. ex Vasq. l. 2. d. 105. c. 21.*, v. g. de solutione naturæ fa-  
cta in somno. Ratio, quia objectum delectatio-  
nis istius non est malum. V. *Bon. de Mat. d. 4 p. 8. nu. 8. Sanch. l. 1. mor. c. 2 nu. 18. Lugo de Pœn. d. 16. n. 389.* Imò adduat, licere aliquando desi-  
derare (affectu simplici, & inefficaci desiderio)  
ut tale quid fiat sine culpa, v. g. ut in somno e-  
veniat naturæ solutio, ob finem bonum: dum  
modo desiderium non sit tam intensum, ut tale  
quid probabiliter causet, neque sit periculum  
consentiendi in talem voluptatem. Ratio est,  
ajunt, quia objectum hujus desiderii, aut gau-  
dii, non est malum *Vid. Less. & Bon loc. cit.*

III. Non est peccatum, saltem mortale, si con-  
juges delectentur appetitu tantum rationali, de  
actu conjugii præterito, futuro vel possibili, re-  
spectu comparis præsentis vel absentis. Item si  
sponsus desideret copulam futuram, aut de ea  
delectetur; vel vidua de præterita. Ratio, quia  
hi actus habent objectum licitum.

Dixi, appetitu rationali: quia si sponsus aut vi-  
dua, voluntariè consentiat in delectationem  
sensitivam & carnalem, quæ recordatione co-  
pulae futuræ aut præteritæ naturaliter oritur,  
mortaliter peccat, ut docet *Less. n. 110. Bon. Tann. Palaus. V. Dian. p. 3. t. 5. misc. R. 2. contra  
Medi. &c.* Quia verò ad supradictam voluntatis

eb-

»oblectationem, sensitiva & carnalis ut pluri  
 »mum, imò etiam periculum consensùs in fo  
 »nicationem, consequitur, oblectationem illi  
 »voluntatis in praxi vix locum habere saltem  
 »vidua, & sponsa: inter conjuges tamen, mo  
 »periculum pollutionis absit, etiam sensitiva  
 »& veneream delectationem non esse mortu  
 »docet *Fill. Bon. q. 4. Sanch. Less. l. c. d. 1. & Di*  
 »p. 2. t. 3. misc. R. 36. cum quis status Matrimon  
 »hæc excusat, uti etiam tactus impudicos, solo  
 »voluptatis causâ institutos: tum quia hæc te  
 »dunt per se ad opus conjugale, licet per ac  
 »dens opus non exercentur.  
 » IV Delectatio morosa de rebus solo jure p  
 »sitivo prohibitis non est illicita, modò non fi  
 »sub ratione prohibitionis v. g. si Carthusian  
 »val alius die jejunii se oblectet de cogitatio  
 »carnium, quia non est de opere malo, cum  
 »tantum vetet comestionem externam. *Laym*  
 »9. *Less. n. 111. & 113.*  
 » V. Qui delectationem morosam mortale  
 »confiteatur, addere debet circumstantias op  
 »de quo fuit delectatio, v. g. in materia iræ  
 »fuerit de occidendo fratre, an alio, uno, an pl  
 »ribus: in materia carnis, an de conjugata, Ma  
 »niali, consanguinea: Quod tamen limitat *Az*  
 »Sa V. *Luxuria. Salas to. 2. t. 13. d. 16. f. 6. n. 11*  
 »Et. si delectatio feratur in objectum appreh  
 »sum secundum totam suam malitiam, non ad  
 »rem si tantum secundum partem, v. g. in foem  
 »nam apprehensam ut non suam, non tamen  
 »alteri nuptam, velut Monialem; tunc erit  
 »probabile esse, ait, delectationes tales redu  
 »ad speciem simplicis fornicationis: Ita etiam

*Fill. Less. Bon. Dia. Palaus. V. Lug. n. 363. Aliud*  
 est de ipso opere externo, quod semper fertur  
 in objectum, secundum totam suam malitiam;  
 aut etiam de desiderio efficaci, quod fertur in  
 opus externum secundum se, & ut est à parte rei  
 ac proinde est ejusdem cum illo speciei, ideo  
 que ejus circumstantiæ semper fatendæ sunt. V.  
*Auth. cit.*

*Resp. II. Si quis sine causa & necessitate actio-*  
 nem exerceat, ex qua intelligit delectationem  
 carnis naturaliter orituram, (v.g. ex curiositate  
 legit, vel audit turpia) tamen sine directa in  
 tentione, & sine periculo consensû, peccat ve-  
 nialiter; si verò justam causam habeat, nihil  
 peccat. *Vid. supra in 6. pr. l. 3 t. 4. c. 2. d. 4.*

*Quæres. An voluntas delectationem carna-*  
 lem positivè reprimere teneatur.

*Resp. Si voluntas plenè tam advertens nega-*  
 tivè & permisivè se habeat, ita ut nec appro-  
 bet, nec repellat, dummodo id non permittat  
 ex ipsius delectationis complacentia, nec peri-  
 culum sit ulterioris consensû, probabile est,  
 quod docet *Caj. Sanch. 1. moral. c. 12.* non pec-  
 care mortaliter, tum quia non consentit in de-  
 lectationem; tum quia moraliter est impossi-  
 bile omnes illos motus evitare, tum quia ex ju-  
 sta causa illos licet permittere, etiam secundum  
 adversarios.

*Resp. III. In praxi tamen verius videtur, quod*  
 docet *Vasq. Azor, Less. Bee. l. 1. t. 2. c. 5. q. 5.* sine  
 justa causa eis non resistere, esse mortale, quia  
 fere semper voluntas est exposita periculo con-  
 sensû; & contrarium credere, est nimia su-  
 confidentia & præsumptio. *Moderatè Laym.*

»utramque sententiam probabilem fatetur  
 »ait, delectationem videri mortalem, nisi  
 »tem actum simplicis displicentiae circa illam  
 »cias; etsi efficaciter animum ad alia adven  
 »negligas, cum facile possis, & speres te tali  
 »do posse depellere. V. Laym. l. 1. t. 3. c. 6.

## A D D E N D A.

77. Q. 17. Quid praeterea notandum sit circa delectationem morosam. R. seqq.

§. 1. Delectatio morosa secundum dicta  
 1. n. 889, est gaudium quoddam seu complac  
 tia, quam quis habet in aliquo objecto, quod  
 cere non vult, nec vult à quoquam fieri, attamen  
 sibi in illo complacet: Et secundum Ovi  
 pecc. controv. 4. n. 5. dicitur delectatio, quae  
 dilatationis cordis, secundum illud *Isaia 6. n.*  
*bis & affluet, & mirabitur & dilatabitur cor tuum.*  
 am dicitur lætitia, quia affert quandam qua  
 titudinem cordis, uti notat *Alb. M. De motu*  
*animal. l. 1. c. 1.* Potest autem delectatio morosa  
 esse bona vel mala, prout objectum illius est  
 num vel malum, usus tamen nunc obrinuit  
 sumatur pro delectatione mala. Item potest  
 vel de objecto turpi, quale est fornicatio, vel  
 objecto non turpi attamen malo, vel intrinsic  
 ratione sui, uti est occisio inimici, vel tantum  
 trinsicè ratione prohibitionis, uti est comed  
 carniū die Veneris. Quod autem dicitur  
 delectatione morosa circa objectum malum  
 idem cum proportione intelligi debet de trit  
 tia morosa circa objectum bonum, uti siq  
 erissetur de gloria Dei, de bono proximi, de  
 bono posito à se vel alio. Cur autem talis delectatio

etatio appelletur morosa, dictum est l. 3 p. 1.  
n. 389.

§. 2. Bene distinguenda sunt hæc 4., delectatio de malo, delectatio de cogitatione mali, delectatio de cogitatione mala, delectatio de modo, quo fit malum. Delectatio de malo vel de cogitatione mala semper est mala, quia est de objecto malo. Delectatio de cogitatione mali potest esse bona, sic enim Deus complacet sibi in cogitationibus peccatorum, & potest quis delectari a spectu artificiosæ picturæ, quamvis res picta displiceat. Idem est de delectatione circa modum, quo fit malum, ut si delecter de modo, quo alius malo pronus cecidit in lutum, quo ebrius tremule incedit, quo mulieres rixantes se mutuo impetunt; hæ enim delectationes, per se loquendo, non sunt peccata, ut cum communi *Suar. de pecc. d. 5. f. 5. n. 7. Sanch. In Dec. l. 1. c. 2. n. 4. Ovid. n. 43.*, quia tendunt in circumstantiam vel modum ab objecto malo distinctum, & de se non malum. Quod si circumstantia vel modus de se esset malus, idem dicendum foret de delectatione circa hæc, quod dicitur de delectatione circa objectum malum: Signum autem, quod quis delectetur re cogitatâ & non solâ cogitatione rei, vel modo, quo fit, est hoc imprimis, si delectetur, & nihil cogitet de cogitatione sua vel de modo, quo res fit, si enim esset de his delectatio, deberet esse horum cognitio, cum voluntas non feratur in incognitum. Deinde si non delectetur simili cogitatione vel simili modo occurrente circa res bonas, v. g. si plus delectetur arguto dicto vel facto, quando pro objecto habent aliquid turpe, quàm quando habent aliquid

aliquid honestum, manifestum signum est delectationem tunc ferri, non in solam cogitationem aut modum, sed etiam versari circa objectum cogitatum. Præterea si quis libenter loquatur objectis ejusmodi, vel libentius studeat aut eulectur circa illa, quàm alia; vel illa, quæ aut legit, videt, interpretetur in ordine ad illa, signum est, quod pronus sit ad delectationes circa talia objecta, unde in dubio, an talis homo delectetur etiam de objecto, an de sola cogitatione objecti, vel de modo, quo fit, præsumi debet quod delectetur etiam de objecto.

79. §. 3. Si delectatio de objecto malo directe datur in ipsam malitiam, v.g. si quis delectetur in damno proximi, quia damnum ipsius est, comestione carnis, quia est prohibita; furto, quia est offensivum Dei, clarum est semper esse peccatum, uti omnes tenent cum *Arr. de pecc. d. 47. n. 1.* quia talis virtualiter habet voluntatem effectivam, quæ vult malitiam objectivam, non quæ eam intendat propter seipsam, nemo enim vult malum ut malum, sed sub aliqua ratione bonæ naturæ accipitur in malitiam veluti objectum materiale intentum, ergo in actum refunditur malitia formalis, respondens malitiæ objectivæ gravi vel levi, in quam tendit actus; imò cum in actu aderit odium proximi vel Dei, aut etiam communiter contemptus legis, & sic erit mortale, secundum dicenda *n. 242.*, quamvis forte de objecto secundum se non graviter malo.

80. §. 4. Si malitia per cognitionem possit separari & reipsa separaretur ab objecto, tuncque delectatio feratur in aliquod bonum physicum quod est in objecto, per se loquendo, non est peccatum.

peccatum, uti si quis delectetur esu carniū die Veneris, cognoscendo veluti non prohibitum; ratio est, quia delectatio non fertur in objectum, prout à parte rei est, sed prout apprehenditur, ergo si feratur in objectum exercitè & efficaciter præcisum à malitia objectiva, nulla malitia formalis poterit inde refundi in actum, *Sanch. n. 10.*; quod magis declarabitur n. 85., nam talis delectatio fertur in objectum, virtualiter sub conditione, si non sit malum, qualiter concipi potest in plerisque materiis, exceptis illis de quibus n. 87.

*Obj.* Desiderium objecti mali, v. g. carniū die Veneris, est peccatum, quamvis aliquis vellet præscindere à prohibitione, & optaret abesse omnem malitiam objectivam, ergo etiam delectatio sic erit mala. *R. n. conseq.* Desiderium est actus efficax, qui fertur in objectum, prout à parte rei ponitur cum sua malitia, v. g. qui desiderat comedere carnes die Veneris, quod cognoscit esse prohibitum, vult comestionem à se poni, quam supposità lege prohibente scit non posse poni sine transgressione legis, ergo tendit in aliquid cum oppositione ad legem. E contra delectatio est actus inefficax, & tantum fertur in comestionem, prout objectum, seu prout in cogitatione est aliquid, v. g. utile corpori, neque hæc cogitatio infert illa, quæ essent à parte rei conjuncta cum illa comestione, ergo cum comestio in ratione objecti præscindat à malitia, non erit peccatum per simplicem delectationem ferri in illam.

§. 5. Probabilius est, quod delectatio de objecto, non tantum intrinsicè malo sed etiam ma-



lo extrinsecè, sit peccatum mortale aut veniale  
 prout est objectum graviter vel leviter malum  
 S. Thom. 1. 2. q. 74. a. 5. & 8. Suar. n. 4. Sanchez  
 8. aliique communiter. Nec dissentit Arr. d. 4. q. 1.  
 quamvis enim videatur contradicere à n. 5. 1.  
 men n. 9. relabitur in hanc sententiam, dicitur  
 voluntatem, ut non peccet, debere ferri in  
 jectum, à quo intellectus abstrahat malitiam  
 prohibitionem. Idem dicit Tann. d. 4. q. 1.  
 134. & 137., videturque colligi ex illo Osee  
 10. Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.  
 Ratio autem est, quia qui delectatur objecto  
 lo cogitato, approbat illud, uniendo & confir-  
 mando suum affectum illi, nemo enim delectatur,  
 nisi in hoc, quod ei placet, & quod reipsum  
 amat, ergo sicuti objectum cogitatum est malum,  
 ita etiam delectatio, cum formalis malitiam  
 actus desumatur per ordinem ad objectivam  
 dicas, non amari opus in re sed tantum in cogi-  
 tatione; Contra est, amor delectationis in opere  
 cogitato est ejusdem rationis, cujus est amor  
 delectationis in opere re ipsa posito, cum malitiam  
 utriusque desumi debeat per ordinem ad ob-  
 jectum, quod idem est in re & in cogitatione,  
 ergo sicut amor delectationis circa opus mortale  
 ter malum positum in re est mortalis, ita etiam  
 amor delectationis circa opus cogitatum.  
 obstat, quod talis cogitatio objecti sit actus in-  
 ficax, nam est quidem inefficax respectu objecti  
 re ponendi, attamen respectu delectationis  
 objectum intentionaliter præsens, est omnino  
 efficax.

Obji. Actus inefficax, qualis est simplex de-  
 lectatio, non desumit malitiam ab objecto, et

delectatio circa objectum moraliter malum ,  
 ( extra materiam veneream , de qua est alia ra-  
 tio ) poterit esse venialis tantum , ita *Vasq.* d. 111.  
 c. 3. & 4. *Merat.* d. 8. f. 1. , quorum sententiam  
 probabilem esse dicit *Compton.* d. 105. f. 5. n. 1. ,  
 & *Sporey* in *Th. Mor.* p. 1. c. 1. c. 6. n. 23. dicit eti-  
 am se valde propendere in eam , & *Oviedo* n. 9.  
 citat pro ea plures AA , nec videtur probabilita-  
 tem negare *S. Th.* a. 8. O ubi ait , *Quidam dixerunt* ,  
*quod consensus in delectationem non est peccatum mor-*  
*tale sed veniale tantum , alii vero dixerunt , quod est pec-*  
*catum mortale , & hac opinio est communior & verifi-*  
*milior , ergo S. Th.* agnoscat probabilitatem op-  
 positæ : & consequenter *Suar.* supra nimium dixit  
 asserendo oppositam esse improbabilem , uti &  
*Azor* T. 1. l. 4. c. 6. q. 1. , vocando temerariam.  
 Bz. De hoc viderint *Suar.* & *Az* , nos , quod dixi-  
 mus , defendimus tanquam probabilius : unde  
 ad object. n. antec. , quamvis enim delectatio  
 possit esse mala , licet sit de objecto secundum se  
 non semper malo , secundum dicenda n. 90. , ta-  
 men delectatio tum semper est mala , si fit de ob-  
 jecto malo , à quo in delectationem refunditur  
 malitia.

*Inst.* Displacencia inefficax circa rem graviter  
 præceptam non est mortale , imò sæpe nullum est  
 peccatū , nam Christus habuit displacenciam in-  
 efficacem circa mortem sibi graviter præceptam ,  
 ergo similiter complacencia talis efficax circa  
 rem graviter prohibitam non semper erit mor-  
 tale , ita *Vasq.* n. 111. & iterum c. 4. item *Compt.* n.  
 2. Bz. Displacencia inefficax circa rem ut præce-  
 ptam graviter , id est , ut positam vel ut ponendam  
 secundum legem graviter obligantem , non est

mortale, n, talis enim displicentia censetur  
 amor transgressionis seu difformitatis graviter  
 legem: displicentia inefficax circa rem, quæ  
 viter præcipitur & pro sensu diviso præcepti  
 non est mortale, c. antec. & n. conseq. Christi  
 tantum offendit naturalem displicentiam cum  
 mortem secundum se, præsciendō à præ  
 pro, non habuit autem displicentiam circa ma  
 rem ut præceptam, sensu antè dicto.

82. §. 6. Probabilius videtur, quod delectatio  
 objecto semper intrinsicè malo, sub conditi  
 ne, si liceret, si non esset malum &c., sit pecc  
 tum grave vel leve, prout objectum in se est, v  
 si quis delectetur in his objectis, blasphemare  
 liceret; pejerarem, si Deus permitteret; odissem De  
 si non esset peccatum; mentiter, si non esset mal  
 ita Adr. Az. Laym. Suar. n. 10. Sanch. n. 23. Rho  
 d. 1. q. 3. l. 3 §. 3. Loth. tr. 12. q. 2. a. 5. Buse  
 relatus n. 66. aliique multi, contra Caj. Sala  
 Castrop. Ovied Carden. Bonæspei d. 10. n. 47. Her  
 d. 7. n. 23. Ratio est, quia licet consensus sit con  
 ditionatus respectu objecti, est tamen absolutus  
 respectu delectationis circa objectum, quod sem  
 per est malum, & nunc per cognitionem est pe  
 sens, ergo ab eo desumit malitiam, uti alix de  
 ctationes morosæ.

Respondet 1. Oviedo n. 71., per conditionem  
 intentionaliter separari malitiam. Contra est  
 ratio, v. g. blasphemix est semper intrinsicè ma  
 la, uti supponitur, sed ratio blasphemix non se  
 paratur, nequidem intentionaliter, ergo non  
 ratio malitix. Prob. min., nam dicit, blasphem  
 rem, si liceret, & in hoc objecto delectatur, et  
 go delectatio tendit in rationem blasphemix  
 sub

substantem illi conditioni, si liceret, ergo ratio blasphemiz non separatur, nequidem intentionaliter. Quod si dicas delectationem non tendere in rationem blasphemiz sed in aliquid aliud, cessat nostra questio.

Respondet 1. Per intellectum fingi ens chymericum, quod sit blasphemia sine malitia, & in hoc ens fictum tendit delectatio propter aliquam bonitatem in eo apprehensam. Contra est; illud ens fictum est blasphemia sine malitia, ergo illud ens fictum est malitia sine malitia, quia blasphemia intrinsicè & semper est mala, uti supponitur, atqui est malum delectari in malitia sine malitia, quia talis re ipsa delectatur in malitia, licet fingat non esse malitiam, & consequenter dici possit etiam delectari in non malitia, sicuti qui cognosceret hircum, quem fingeret non hircum, re ipsa cognosceret hircum, licet consequenter dici posset etiam cognoscere non hircum, ergo adhuc est malum delectari in illo ente, quod fingitur esse blasphemia sine malitia: & ratio à priori est, quia conditio illa signatè tantum & inefficaciter præscindit malitiam ab illa blasphemia, non autem exercitè & efficaciter, nequidem intentionaliter, cum supponatur esse & manere blasphemiam, quæ hinc concipi non potest sine malitia objectiva, ergo cum intellectus non possit effectivè intentionaliter præscindere à malitia, nec poterit voluntas præscindere affectivè, id est, fieri non poterit, quin affectus re ipsa feratur in illam malitiam objectivā ab intellectu propositā.

Obj. 1. Mendacium, si esset licitum, est mendacium, quod esset, si poneretur illa conditio, sed si poneretur illa conditio,

mendacium esset licitum, ergo licitè delector  
eo. R. Esset licitum & illicitum: licitum si  
signatè, illicitum verè & exercitè, uti jam dictum  
est.

Obji. 2. Ergo vicissim erit actus inhonestus  
si me delectem in hoc objecto, *odissem amorem  
Dei, si esset illicitus.* R. Si reipsa à voluntate ex-  
ciatur odium, quantumvis inefficax, & sub illa  
conditione, c. seq., est enim displicentia de ob-  
jecto semper intrinsecè bono & pro nullo casu  
odibili aut displicentiâ digno.

§. 7. Multò magis est peccatum, si quis delectetur  
tur objecto malo sub conditione, quæ quamvis  
poneretur, non auferret malitiam, uti fit in his  
*si non essem Religiosus, inebriarem me; si non essem  
infernus, furarer; si possem avolare, raperem*  
&c. hæc enim conditiones relinquunt totam malitiam,  
quia quamvis non essem Religiosus, adhuc inhonestus  
ad huc inhonestus esset ebrietas; quamvis non essem  
infernus aut ego volare possem, adhuc inhonestum  
esset furtum & rapina: ac tales actus videntur  
habere talem malitiam, qualem haberent, si  
conditio reipsa esset purificata vel non ad-  
jiceretur. Si tamen quis per talem actum  
v.g. per hunc, *si non essem Religiosus, inebriarem me*  
tantùm vellet significare, quod judicet, nisi jam  
esset in hoc statu, futurum fuisse, ut ob occasiones  
aliasque incitamenta sæpe se inebriaret, non  
ideo significetur affectus ad inebriationem, nisi  
tunc erit peccatum, uti nec tunc, si tantùm signifi-  
cetur propensionem ad peccatum, quam in  
circumstantiis vincat, Sanchez. n. 25.

§. 8. Si quis delectetur hoc objecto,  
*me determinare vellem vel ad negandam fidem*

ad mentiendum, vellem mentiri & non negare fidem, hæc delectatio videtur habere malitiam mendacii, quamvis talis homo absolute nolit mentiri. Ratio est, quia conditio illa non tollit malitiam ab alterutro, sed relinquit utrumque objectum, sicuti in se est, malum, ergo si sub illa conditione placeat mendacium, placet, & consequenter contrahitur malitia mendacii, uti rectè *Castrop. t. 2. d. 2. p. 12.*; sicuti è contrà si sub illa conditione placeat negare fidem, peccabit contra fidem, quamvis eam absolute nollet negare. *Nec obstat*, quòd homo habens conscientiam perplexam non peccet, si eligat hoc, quod videtur esse minus peccatum, nam disparitas est, quòd in statu perplexitatis necesse fit alterutrum eligere, uti suppono, hinc prudenter eligit minus: in nostro autem casu necesse non est alterutrum eligi aut placere, sed est obligatio utrumque fugiendi; *Videri potest Sanch. c. 10. n. 25.*, qui non videtur contrarius, tantùm enim dicit electionem minoris peccati præ majore non esse malam, si nempe supponatur necessitas eligendi alterutrum, quæ hic non est. Notandum tamen, si absque affectu & complacencia in alterutro peccato aliquis tantùm enuntiativè diceret, in tali concursu prudentiùs eligendum fore mendacium quàm infidelitatem, nullum esse peccatum, uti in simili dictum est n. 83. in fine.

§. 9. Delectatio voluntatis de objecto secundùm se non semper malo, sub conditione, si liceret &c., per se loquendo, non est peccatum, saltem si excipiatur materia turpis. Ratio est, quia delectatio illa potest habere honestum, aut saltem indifferens motivum, cùm objectum sit illius

illius capax; & tunc cadit delectatio super subiectum ut intentionaliter separatum à malitia, qua separari potest; sic Religiosus licite dicit, *si liceret habere, & haberem divitias, darem eleemosynas*, hic enim actus est honestus, quia habere divitias non est de se malum, & delectatio circa largitionem earum procedit ex motivo misericordiz: Item, *si liceret, comederem carnes die Veneris*; comestio eam illa est de se capax motivi saltem indifferentis, & seclusa per conditionem prohibitionis objectum illud non est de se malum. Idem potest esse, si quis se delectet hoc objecto, *si Titius esset hostis in bello, occiderem eum; si esset reus, & ego carnifex, suspendere eum; si Deus vellet Titium mori, etiam vellem occidere eum*; dummodo conditio removeat omnem malitiam, nam si non ita purificet objectum, quod maneat affectus & delectatio circa occisionem Titii etiam ex privata autoritate, aut si voluntas mortis Titii precedat volitionem Dei, ita ut velim Deum velle, ut Titius moriatur, recte notat Sanch. n. 30. fore peccatum, & merito presumitur esse talem affectum, si aliunde odorem Titium.

36. Dixi 1. Delectatio voluntatis, nam si objectum secundum se habeat inhonestatem, uti habet vindicta, furtum &c., delectatio appetitus sensitivi, quæ fit cum alteratione corporis circa talia objecta, non est licita, quamvis ex parte intellectus apponeretur conditio, unde si forte delectatio illa oriatur, peccabit voluntas, si ipsam consentiat, aut si velit delectationem rationalem, quæ hic & nunc esset causa naturalis & necessaria sensitivæ, ita ut hæc ideo censere

esse volita ; Ratio est , quia appetitus sensitivus non sequitur intellectum sed phantasiam , atqui phantasia non potest apponere conditionem , cum non cognoscat conditionatè , uti rectè *Sanch. n. 33.* , neque potest præscindere rationem malitiæ à tali objecto , ergo delectatio sensitiva , in quam consentiret voluntas , tenderet in tale objectum absolute secundum se sumptum , quod est illicitum . E contra tamen , si objectum secundum se non habeat inhonestatè , licita esset etiam sensitiva delectatio circa illud , sub conditione proposita per intellectum , & tale objectum est comestio carniùm , sub conditione , si non esset dies Veneris , cum enim illa comestio secundum se non sit inhonesta , appetitus tendet in illam , prout phantasia repræsentabit sub ratione aliqua veluti communi & abstrahente ab illicito , interim autem conditio appositæ per intellectum excludet malitiàm , *Sanch. n. 35.*

Dixi 2. Saltem si excipiatur materia turpis , quia in hac est specialis ratio , uti rectè *Ovied. n. 50.* , & dicitur à *n. 95.* , si enim voluntas delectaret se , v. g. in hoc objecto , haberem copulam , si essem in matrimonio , ex delectatione illa rationali naturaliter simul orietur delectatio sensitiva , quæ , uti jam dictum est , feretur in copulam absolute , & commovebit spiritus genitales , magisque trahet ad consensum ; imò *Ovied.* dicit hanc delectationem sensitivam hoc ipso fore volitam , si volita sit delectatio rationalis , quæ est naturalis & necessaria illius causa : unde nec viduis licita est , saltem sensitiva delectatio circa copulam præteritam , nec sponsis circa copulam futuram , quamvis talis copula suo tempore fuerit

rit



rit aut futura sit illis licita, ut pluribus dicitur  
L. 6. p. 3. quando de Matrimonio, Et hic non  
aliquid infususbitur.

88. *Obji.* Qui delectatur de comestione carnis  
sta die Veneris, peccat, ergo etiam qui delectatur  
de facienda, si liceret, quia conditio nihil ponit  
in re, nec quicquam immutat. *Rz. n. conf.*, pro  
peccat, quia actus ejus fertur in comestione, non  
cui à parte rei posita est cum malitia sua ob  
ctiva; posterior actus non fertur in comestione  
ut à parte rei ponendam cum malitia, sed in  
paratam intentionaliter à prohibitione & à ma  
litia: & quamvis conditio nihil ponat in re,  
immutet objectum in se, tamen si hoc non sit  
intrinsecè semper malum, intentionaliter separatum  
ab eo malitiam, & tum voluntas fertur in ob  
jectum sub ratione objecti & ut intentionaliter  
paratum à malitia.

89. §. 10. Delectatio de objecto in se malo, sed  
ne culpa facto, v. g. commisso ex ignorantia  
vincibili, in ebrietate, in somno &c., est peccatum  
tale, quale objectum, *Suar. n. 14. Sanchez*  
*15. Tamm. n. 141. Bonæ-sp. n. 77. Herinx n. 1*  
aliquæ communiter; Ratio est; quia illud ob  
jectum est in se malum; quod autem non fuerit  
peccatum, ideo est, quia non fuit voluntarium  
ergo si nunc accedat voluntas talem actum  
probans vel de illo gaudens, quod sit in delectatione,  
erit peccatum, quod specificatur à malitia  
objectiva gravi vel levi. *Nec obstat*, quod ob  
jectum fortè non sit intrinsecè malum, ut si  
non est comestio carnis die Veneris facta  
ignorantia, nam etiam illa, quando fiebat, est  
materialiter mala & prohibita, uti supponitur  
aliter

aliud est, si fuisset licita, v. g. propter infirmitatem, tum enim licitum esset de ea delectari, quia tum nullam habet malitiam objectivam, nequidem materialem.

§. 11. Quamvis ex parte objecti nulla sit malitia, tamen delectatio ex parte sui habet aliquando malitiam, propter oppositionem cum aliqua virtute vel cum natura rationali, uti si solutus delectetur de copula, quam licite habent duo conjuges, aut Titius de morte per infortunium illata Cajo; in his enim objectis secundum se nulla est malitia, attamen est in delectatione circa illa, quia delectatio circa copulam opponitur castitati propriæ hominis soluti, & delectatio de morte proximi opponitur charitati: Hinc universaliter infert *Carden.* illam delectationem esse malam, quæ est contra Deum, proximum vel seipsum: tunc autem delectatio est contra Deum, si objectum representetur ut irreligiosum, quomodocunque, respectu Dei vel Sanctorum, uti delectatio de conculcatione sacræ imaginis facta à fatuo: contra proximum, si delecteris de objecto ut noxio ipsi: contra seipsum, si quis delectetur de peccato vel objecto ut sibi ex aliqua saltem parte malo.

§. 12. Licita est delectatio de bono effectu ex causa mala secuta, quia hic effectus potest in se habere bonitatem, & honestè amari, non prout est à tali causa, sed secundum se; sic potest quis gaudere de pace secuta ex homicidio, de filio nato ex fornicatione. Putat etiam cum aliis maleis *Merat. d. 8. f. 1.* licitam esse delectationem de peccato, in quantum fuit causa vel occasio boni effectus, quia peccatum sub tali respectu non est ma-

ma-

malum, & in eo sensu videtur canere Ecclesia  
*felix culpa*, quæ talem ac tantum meruit habere  
 demptorem, sed melius dicitur tantum esse  
 tum gaudere de ipso effectu secundum dicta  
 n. 187., quia non est licitum gaudere de mo  
 alterius ut allativa divitiarum, ergo nec de  
 peccato ut causativo boni; & S. Th. 1. 2. q. 7.  
 1. innuens oppositum, uti & Ecclesia supra  
 plicari debent, quod velint gaudium posse  
 de solo effectu, eò quod reduplicatio cadat su  
 formam, quæ hîc est effectus ipse. Si tamen  
 tively præscindatur malitia objectiva, idest  
 malitia objectiva non moveat affectum, & de  
 ctatio cadat præcisè super prædicatum, præ  
 est causativum boni, delectatio non erit ma  
 secundum dicta, dummodo tale prædicatum  
 possit, & reipsa præscindatur ab omni malitia

92. Q. 18. Quid specialiter addendum sit circa  
 ctationem turpem. R. seqq.

§. 1. Illa delectatio, in genere, dicitur turpis  
 quæ est circa aliquid specialiter dedecens hon  
 nem pudibundum & ingenuum: potest autem  
 esse tantum scurrilis, uti si quis delectetur serm  
 ne de partibus præposteris, flatibus ventris, de  
 erementis &c., & tum est veniale tantum, præ  
 loquendo: quod si aliquo modo spectet vel  
 hat ad venerea, dicitur absolute turpis, & con  
 hac in presenti agitur: est autem vel merè spi  
 tualis, quæ se continet in sola voluntate absq  
 ulla delectatione sensitiva, vel simul est carnalis  
 si nempe accedat aliqua delectatio appetitus se  
 sitivi.

93. §. 2. Delectatio carnalis, alia est venerea,  
 sensibilis: venerea est, quæ sentitur circa partem

genitales per commotionem seminis vel spirituum generationi deservientium, qui spiritus in se ipsa sunt sanguis subtilis veluti in aërem attenuatus, ideoque facillimè moventur. Porro causatur talis commotio, vel ab imaginatione, vel à copia seminis & eorum spirituum, vel ab ejusdem seminis mordacitate, quæ facit nervos incallescere & agitari illos spiritus, uti docet Galemus apud Bonaspei d. 10. n. 88.; & dicitur talis delectatio venerea, quia à natura ordinata est ad generationem, cui Venersm tanquam Deam præsidem statuebant ethnici. Delectatio carnalis sensibilis est, quæ oritur ex applicatione sensus ad objectum sine ulla commotione circa partes genitales, quam tamen commotionem est saltem remotè apta causare: & delectatio illa sentitur communiter circa pectus cum aliquo calore vel quasi cū emozione sanguinis aut spirituum animalium circa cor, v. g. dum quis osculatur mulierem.

§. 3. Si delectatio sensibilis non sit apta movere ad delectationem veneream, non dicitur absolute carnalis, sed purè sensibilis, qualis est delectatio ex visu picturæ, tactu holoserici, odoratu floris, auditu musicæ, gustu sacchari, tales enim delectationes oriuntur ex proportione seu connaturalitate, quam res tales habent cum organo talis sensus: & hæc delectatio non est de se mala, est tamen veniale eam querere propter ipsam, seu quia placet sensui, sistendo in ea, ut dicitur n. 310. Quandoquædam autem censetur fieri consensus, vel nullus, vel semiplenus aut plenus in delectationem turpem, explicabitur n. 226.

95. §. 4. In delectatione veneres, in quam voluntas consentit, sic ferè proceditur: 1. Voluntas consentit, ut intellectus cogitet de objecto venereo, v. g. de fornicatione. 2. Voluntas merè ritualiter complacet in fornicatione sic cogitans sine ulla commotione veneres. 3. Cum hoc est actus voluntarius phantasiæ imaginans illam fornicationem. 4. Ex hoc naturaliter sequitur complacentia in appetitu sensitivo. 5. Oritur sensatio, quæ ad tactum pertinet, causata commotione seminis & spirituum genitalium & in hac sensatione præcipuè consistit delectatio veneres. 6. Oritur cognitio spiritualis delectationis externæ, quæ est in illa sensatione. 7. Voluntas spiritualiter delectatur in hoc. 8. Cum hoc adest voluntarius actus phantasiæ imaginans illam sensationem. 9. Sequitur delectatio appetitus sensitivi in illa sensatione: & illa omnia sunt unus completus actus complacentiæ veneres. Atque ex his patet distingui inter delectationem spiritualem voluntatis & sensitivum appetitûs; item delectationem de opere externo & delectationem de motu venereo; item sensum in motum venereum & consensum delectationem circa opus vel circa motum venereum.

96. §. 5. Delectatio morosa de objecto venereo est peccatum mortale in homine, cui illicita copula, ita Carden. & alii communissimè traduntque hanc doctrinam SS. PP. ad illa verba Matt. 5. v. 27. Audistis, quia dictum est, non mecum beris, &c. Probatur ex Jobi 31. Pcepigi fœdus oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine, quæ enim partem haberet in me Deus desuper? id est, quæ morosa

mōdo Deus mihi per gratiam justificantem ad-  
 esset, si hoc facerem? Item *Matth. 5.* ait, *Qui vi-*  
*derit mulierem &c.* ubi *S. Gregorius* : Per *Moysen*  
*luxuria perpetrata, per auctorem verò munditiæ luxu-*  
*ria cogitata damnatur.* Ratio est, quia talis delecta-  
 tio est causa per se & à natura ordinata ad com-  
 motionem spirituum genitalium, hæc autem  
 commotio est mortalis in homine soluto, quia  
 secundum *Galenum* est inchoatio profusionis se-  
 minis, ergo.

*Obji.* Non tenemur sub mortali vitare alias 97.  
 causas commotionis spirituum, v. g. studium  
 circa casus venereos, comestionem calidi cibi  
 &c., ergo nec ideo sub mortali tenemur vitare  
 delectationem de objecto venereo, quia est cau-  
 sa commotionis spirituum. R: n. conseq., di-  
 sparitas est, quòd tale studium vel comestio tan-  
 tum per accidens & valde mediata sic causa  
 commotionis spirituum, habeatque finem ho-  
 nestum, scilicet cognitionem veri, refectionem  
 corporis &c. è contrà delectatio de objecto ve-  
 nereo est causa per se & à natura ordinata solum  
 ad commovendos spiritus genitales in ordine  
 ad generationem, ideo enim ei imaginationi &  
 delectationi sensibili internæ data est vis sympa-  
 rica respectu commotionis spirituum, ut ita  
 procedatur ad generationem, ad quam nec ho-  
 mines nec bruta potuissent ita allici, ac velle pro-  
 pagare speciem suam, nisi natura addidisset illas  
 delectationes circa coitum, ideoque tales delecta-  
 tiones sunt quædam inchoationes generatio-  
 nis, ergo cum generatio sit homini soluto illicita,  
 etiam debuerunt esse illicitæ istæ delectatio-  
 nes.

*Inst.* Si delectatio interna sit inchoatio pro-  
fisionis seminis, ergo semper erit mortaliter  
la, etiam in conjugato, si absit conjux. R. n. 10.  
non enim semper affert periculum proximum  
lius effusionis, quæ multis modis adhuc sub-  
tur potestati voluntatis.

98. Q. 19. An delectatio turpis possit ex parvitate  
terix esse peccatum veniale tantum. R.

§. 1. Si sit turpis & venerea, semper est mor-  
tale, uti probatum est l. 3. p. 1. n. 910., possit  
que etiam videri dicta n. 48. in Resp. ad 2.

99. §. 2. Dari non posse parvitate in mate-  
venerea, tenere debent speciatim omnes in  
cietate JESU, uti dictum est ibid. n. 911.

100. §. 3. Sententia concedens posse peccari in  
tùm venialiter ratione parvitate in materia  
venerea, est improbabilis, ut constat ex ibidem  
ctis n. 910.

101. Obj. 1. Plures quàm 20. AA. apud Mendo  
5. n. 1. docent in materia luxurix dari parvi-  
tem materia: id ipsum docuit *Sancti. de Mat.*  
9. d. 46. n. 9. Similiter docet *Sporer* in *Tyr.*  
gram. p. 4. n. 340. citans multos alios, si disti-  
rio contingat sine delectatione, quamvis ad  
levis erectio genitalium, non esse mortale, et  
sententia asserens dari parvitate materia: in  
venerea est probabilis. R. n. conseq., nam  
qui eorum intelligunt materiam luxurix gen-  
ricè, uti n. 105. dicemus: alii dicunt dari propter  
imperfectiorem actus, aut loquuntur saltem  
spectu conjugatorum, & hæc non negamus  
quod si intelligant materiam veneream, & per-  
fectam deliberationem ac consensum, & in ho-  
mine soluto, non sunt audiendi, nec ideo faciunt

verum

veram probabilitatem, nequidem extrinsecam, cum obstat auctoritas Pontificum: nec præcisè numerus Auctorum facit sententiam absolutè probabilem, uti dictum est l. 1. à n. 136. Quod attinet ad *Sanch.*, hic sententiam suam revocavit in *Dical.* l. 5. c. 6. n. 12. *Sporer* & alii ab eo citati sunt intelligendi in casu, quo quis patitur & nudè permittit talem motum, ideoque dicunt nullum tum esse peccatum. Docent tamen etiam multi cum *J. Sanch.* d. 21. n. 18. erectionem genitalium non semper esse motum inordinatum contra castitatem, nisi sentiatur delectatio ex motione spirituum, nam sæpe oritur, inquit, v. g. ex sola retentione urinæ; notatque è contrà delectationem veneream esse posse sine erectione genitalium, imò & quandoque pollutionem, uti in senibus valde debilibus aut affectis maleficio, de quibus omnibus dicit se consultuisse peritos Medicos.

*Obji. 2.* Potest quis velle delectationem levem, cum efficaci proposito non consentiendi 102  
in gravem, ergo si suboritur gravis, erit per accidens & non voluntaria, ergo non erit mortale. *R. n. antec.*, sicuti enim qui vult accendere unum granum pulveris, non potest habere efficacem voluntatem non accendendi reliqua grana contigua, (idem est de aliis exemplis) ita & hic, maximè cum discernere non possit quænam sit futura levis vel gravis, unde reipsa vult delectationem illam, quæ sequetur, sive sit futura levis sive gravis, ergo reipsa vult gravem, si eveniat.

*Obji. 3.* Delectatio venerea hoc ipso est levis, 103  
quædà hic & nunc non trahat secum periculum



pollutionis vel consensûs in copulam, aut vehementer non turbet rationem, ita J. Sanchez 21. & 22. R. n. aff., quamvis enim hæc abstinere adhuc reperitur in omni delectatione venereæ gravis lucta & difficultas, ut vincatur, aut ut non adducat aliam graviolem, quæ adhuc fortius alliciet voluntatem cum certo periculo consensûs, ergo non debet censerî levis: deinde ratio nes l. 3. p. 1. n. 910. allatæ adhuc valent contra omnes alias delectationes, licet non afferant pericula & turbationem.

104. §. 4. Etiam præscindendo à commotione rituum genitalium, dicendum est, quod delectatio merè spiritualis circa materiam venereæ semper sit peccatum mortale, uti probatum l. 3. p. 1. n. 891.

105. §. 5. Si delectatio carnalis & luxuria sumitur genericè, prout est quid commune delectationi venereæ & sensibili secundum dicta n. 93., potest in illa parvitas materiz, uti dictum est l. 3. p. 1. n. 892.

106. *Objicit.* Hæc propositio est 40. damnata Alex. VII., Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem venalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensûs ulterioris & pollutionis; ergo ex more Pontificis tales delectationes etiam tantum sensibiles semper sunt peccata mortalia. R. D. difficultati illi satisfactum esse l. 3. p. 1. n. 893. cætero notant omnes esse etiam hic cautè procedendum. Et ex Lessio observat Bonæ-spei d. n. 94., quamvis non adsit directa intentio commotionis venereæ, esse tamen mortale quæ delectationem sensibilem in osculis, tactibus

Complexibus &c., si hæc tria concurrant, 1. Si fiant sine necessitate vel honesta causa: 2. Si intendatur magna delectatio sensibilis: 3. Si plenus sit in hanc delectationem sensibilis consensus: Ratio est, quia tum vel indirectè quæritur etiam delectatio venerea, quæ necessitate quadam physicâ simul orietur, vel saltem erit periculum proximum consensus etiam in hanc; & propterea etiam potuit damnari propositio relata. Vide dicta l. 3. p. 1. n. 894.

Q. 20. An omnis cogitatio voluntaria de objecto turpi sit illicita. R.

§. 1. Cogitatio de objecto turpi potest esse, vel practica vel tantùm speculativa, uti dictum est l. 3. p. 1. n. 895.

§. 2. Voluntaria cogitatio speculativa de re turpi non est illicita, per se loquendo, practica autem est illicita, uti pluribus explicatum est l. 3. p. 1. n. 897.

Q. 21. Quid addendum sit circa illum, qui se habet negativè circa delectationem morosam, maxime veneream, ita ut nec consentiat nec positivè resistat, sed quasi permittat. R.

§. 1. Si hoc fiat ex complacentia objecti vel delectationis, aut si quis per hoc se exponat periculo consensus in objectum vel delectationem, certum est peccare mortaliter vel venialiter, prout objectum aut delectatio erit graviter vel leviter mala: unde si dicatur aliquando licitum esse sic se habere, semper intelligi debet respectu subjecti, à quo abest complacentia & tale periculum.

§. 2. Si sit causa rationabilis se ita permissivè habendi, nullum est peccatum: causæ autem

rationabiles sunt hęc, si probabiliter timeant resistendo magis augeat, quod sæpe fit in mulieribus; si nimis molestum foret continuè resistere, quod utique esset, quando tentatio diu durat; si conatus sit resistere & nil profecerit, uti habent *Azor & Sanch. in Decal. l. 1. c. 2. n. 1.* ideo necesse foret omittere actionem aliquam honestam & utilem, v. g. studium, Confessionem, Talem d. 4 q. 3. n. 73.; maxime si opus agendum ex natura sua non sit excitativum talis concupiscentiæ, tum enim homo non tenetur illam omittere propter concupiscentiam suborituram, uti cum communi *Suar. d. 5. s. 7. n. 20.*

111. §. 3. Si absit causa rationalis, cur possit non resistatur, AA dividuntur in tres sententias, nam imprimis valde communis sententia est, quod sit peccatum, si tum non resistatur positive, saltem per actum simplicis displicentiae, quamvis sit inefficax ad impediendam delectationem, saltem sit certò efficax ad cohibendam voluntatem, ne in illam delectationem consistat, & quantum est de se, conatur talem motum reprimere, uti habet *Sanch. supra*: Ratio est, quia motus tales sunt deordinatio contra rectam rationem, secundum quam tenetur voluntas gubernare appetitum sensitivum, quando facile potest, hinc *Vasq. Amic. d. 17. n. 2. Ar. d. 46. n. 26. Compt. d. 105. s. 5. n. 7. Rhod. 1. q. 3. s. 2. §. 4. Platel. n. 236. Busenb. n. 76.* et alii, & optimè *Oviedo t. 6. controvers. 4. p. 3.* dicunt esse mortale in hoc casu positive non resistere, uti mortale foret, si virgo permitteret violari: docetque *Suar. supra*, quando non est iusta causa habendi se permissivè, esse peccatum

ptum affirmativum positivè resistendi, fundatum in illo negativo, *Non concupisces*, quia aliter censeretur consentire; sicuti in præcepto negativo, *Non occides*, fundatur præceptum affirmativum tollendi causas proximè moventes ad occisionem; & omittere resistentiam & displicentiam circa tales motus, esset, inquit *Oviedo*, æquivalenter velle illos, quod utique est mortale. Et hinc applicatur adagium, quod habetur *Cap. Etsi*, De Judæis, motus vel delectationes sic permittæ illam retributionem impendunt, quam mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu suis consueverunt hospitibus exhibere. E contra *Arcdek*, t. 2. p. 2. t. 5. c. 6. n. 14. dicit probabile esse non peccari mortaliter, notatque idem dici à novem probatis AA.; an autem peccetur venialiter, recet: Alii multi cum *Castrop*, t. 2. d. 2. p. 10. §. 5. & cum *Merat*, d. 7. l. 8. dicunt esse veniale tantum non resistere positivè, quia aliàs multò magis esset mortale ponere actionem venialiter malam in materia luxuræ, quæ esset causa talium motuum, hanc enim actionem ponere plùs est, quàm præcisè non resistere positivè, & tamen plerique etiam ex adversariis dicunt hoc esse veniale tantum, uti relatum est l. 3. p. 1. n. 923. Et quamvis materia hinc sit de se gravis, tamen non resistere positivè habet se, uti levis negligentia circa illam, ergo erit veniale tantum. Denique *Caj J. Sanch*, d. 21. n. 3. *Tamb.* in Decal. l. 10. c. 2. alique multi apud hos & apud *Tann*, n. 67. dicunt, per se loquendo, nullam esse obligationem positivè resistendi, quia secundum sententiam communem, si tales motus oriantur ex causa de se honesta, non est opus abstinere à posi-

tione hujus causæ, ergo multò minùs est op  
 illis naturaliter ortis positivè resistere, sed in  
 troque casu permitti poterunt: unde, inquit  
 gratis fingitur præceptum affirmativum eis  
 sitivè resistendi, cùm satis sit appetitum ita g  
 bernari à voluntate, ut ipsa in ejus actus inor  
 natos non consentiat, quem solum consensu  
 vetat præceptum, non concupisces: Nec obstat, qu  
 communiter dicitur, qui tacet, consentire videtur  
 Nam hoc valet tantùm in materia contractuum  
 uti rectè Castrop supra: neque etiam sequitur  
 re consensum virtualem vel interpretativum  
 quia ut hic esset, deberet supponi obligatio po  
 tivè resistendi, quam hi AA. negant. Hæc ult  
 sententia, speculativè loquendo, videtur  
 probabilior, in praxi tamen tenenda non  
 quia quando quis facilè potest resistere positivè  
 (v. g. convertendo cogitationes ad aliud ob  
 jectum, aut magis attendendo ad id, quod ag  
 qui modus resistendi est positivus & sufficit)  
 hoc omittit, convincitur non illubenter hab  
 tales motus, & esset præsumptio, inquit San  
 credere tum non adesse formale periculum co  
 sentiendi in delectationem; imò talis permis  
 sæpe esset virtualis complacentia: rectè tam  
 notat Bonæ-spei d. 10. n. 26., si motus sint lev  
 melius esse contemneri sine positiva resistenti  
 & facere id, quod aliàs fecisset, quia tum non  
 facile periculum consensûs, & communiter mag  
 gis crescunt ejusmodi motus, si adhibeatur  
 flexa resistentiâ, quia ubi major est sollicitudo  
 imaginatio magis desigitur in tali objecto, p  
 imaginationem autem maximè augentur.

112. §. 4. Sanch. n. 14. dicit, si habitâ solâ displicet

tiâ simplici esset periculum pollutionis, fore mortale non resistere magis; rationem dat l. 9. de Matr. d. 45. n. 25. , quia tenetur homo sub mortali auferre causas notabiliter ad pollutionem concurrentes, qualis est delectatio venerea; pro quo citat *Silvestrum* dicentem esse mortale præviso eo periculo repidè resistere, adeoque teneri voluntatem se habere ferventiùs, ut causam illam pollutionis avertat: similiter *Castrop.* n. 4. dicit debere abesse periculum pollutionis, sed rectè addit hoc non carere difficultate, eò quòd permittere causam pollutionis à natura provientem non sit esse illius causam: loquuntur autem de motibus naturaliter ortis, non item si ab extrinseco, v. g. à tangente excitarentur, foret enim mortale habere se permisivè ad tales motus seu tactus.

## DUBIUM III.

De distinctione peccatorum.

## ARTICULUS I.

Quæ peccata distinguantur specie.

**R**Esp. Peccata, quoad materiale sive entitatem positivam specie distinguuntur ex objectis formalibus & circumstantiis speciem variantibus, quatenus ex objecti formalis rationem habent. Quoad formale autem, proximè distinguuntur ab oppositis formis, sive re et ordine virtutis, quâ privant; remotè autem & fundamentaliter, ex objectis, *Tann. d. 4. de pec. d. 1. q. 2.* Ratio primæ partis est, quia omnes actus  
113.  
 Specie

»specie distinguuntur ex objectis, peccata autem  
 »quoad materiale, dicunt ipsos actus. Ratio  
 »cundæ partis, quia privationes proximè disti-  
 »nguuntur specie ex formis, quibus privantur;  
 »peccata formaliter sunt privationes rectitudi-  
 »num oppositarum. Ratio tertiæ partis, quia  
 »rectitudo virtutis specificatur proximè ex ob-  
 »jecto, ergo privatio rectitudinis ex eodem ratio-  
 »ne. Ex quibus resolves:  
 » Peccata specie differunt, non tantum quæ  
 »versus virtutibus, sed etiam quæ eidem oppo-  
 »nuntur extremè; ut prodigalitas, & avaritia  
 »vel ratione diversæ difformitatis, id est, quæ  
 »adeo diversâ ratione & malitiâ ejusdem vir-  
 »tutis materiam attingunt, ut quantum est ex  
 »tura ejusdem peccati, non sit eadem facilitas  
 »moraliter loquendo, neque propensio utrum-  
 »que peccatum committendi; qualia sunt homici-  
 »cidium, furtum, adulterium, detractio.

## A D D E N D A.

114. Q. 22. An omnia peccata sint equalia. R. Neg-  
 tive: & hoc est de fide contra Stoicos, Jovianum  
 & quosdam novatores. Probat 1. ex Scrip-  
 ptura, nam Deuter. 25. dicitur, pro mensura peccati  
 erit & plagarum modus. Jerem. 7. Peccatum op-  
 rari sunt majus, quam PP. eorum. Thren. 4. Ma-  
 jor effecta est iniquitas filie populi mei peccato Sodom-  
 rum. Joannis 19. dicit Christus Pilato, qui me tra-  
 didit tibi, majus peccatum habet, ergo unum pec-  
 catum est majus altero. 2. Ex SS. PP., quos ma-  
 gno numero adducit Bellarm. de amiss. gratia  
 c. 5. & seqq. 3. Ratione, quia cuius evidens est  
 majus malum esse, v. g. injustè occidere homi-  
 nem.

nem quàm percutere , auferre mille ducatos quàm nummum , blasphemare Deum quàm officiosè mentiri &c.

*Obji. 1.* Peccatum est transgressio legis , sed transgressio legis est indivisibilis , quia habet se uti transgressio lineæ , quæ non potest magis & minùs pertransiri. *2.* Ratio peccati consistit in hoc , quòd aliquid illicitè fiat , sed hæc ratio etiam consistit in indivisibili , & invenitur in omni peccato , ergo. *3.* Ita se habet malitia respectu actuum voluntatis , sicuti falsitas respectu actuum intellectus , sed unus actus intellectus non est falsior altero , ergo nec unus actus voluntatis est pejor altero. *R.* ad 1. n. min. , quàmvis enim linea ipsa non possit magis & minùs pertransiri , potest tamen magis & minùs recedi à linea , quæ pertransitur ; & sic etiam unum peccatum magis vel minùs recedit à lege. *Ad 2.* Ratio generica peccati consistit in hoc , quòd aliquid illicitè fiat , specifica autem , in qua dicimus esse inæqualitatem , plus dicit , uti patebit ex dicendis. *Ad 3.* Si sermo sit de propositione habente plura objecta , n. min. , tum enim potest una esse falsior quàm altera : de cætero falsa est major , & disparitas est , quòd propositio sit per hoc vera vel falsa , quòd objectum ita sit vel non sit ita , uti enunciatur , objectum autem non potest magis esse vel non esse , quàm re ipsa sit : tale nihil est pro moralitate , quæ in actum refunditur major aut minor , prout objectum est magis aut minùs in se malum , uti constabit ex jam dicendis. Vide etiam dicenda à n. 184.

*Q. 23.* Unde desumatur inæqualitas peccatorum. 115.

§. 1.



§. 1. Ex variis capitibus desumitur, ut in  
 S. Th. 1. 2. q. 73. a. 3. & seqq. 1. Ex materia,  
 major est vel minor; & ita furtum ducati est  
 jus quàm nummi. 2. Ex majori vel minori  
 formitate cum natura rationali, sic à recta ra-  
 tione magis discordat occidere patrem suum quàm  
 alium hominem. 3. Ex oppositione cum vir-  
 tute digniore. Porro ordo dignitatis in virtutibus  
 videtur esse hic, ut præcedant Theologicae,  
 inter has, Caritas; tunc Fides, tunc Spes. Atque  
 morales sunt religio & pœnitentia: inter  
 quas morales, prudentia, justitia, fortitudo,  
 temperantia: & simili ordine procedunt vir-  
 tutes sub his contentæ. 4. Ex modo, quo peccata  
 opponuntur eidem virtuti, nam oppositio  
 contraria hinc peior est, quàm oppositio privativa  
 hinc odium Dei est gravius peccatum, quàm  
 neglectus amoris præcepti; Item peius est afflic-  
 tione affligere quàm non juvare: Similiter quàm  
 duo peccata eidem virtuti opponuntur, unum  
 per defectum, alterum per excessum, ut avari-  
 tia & prodigalitas opponuntur liberalitati; pus-  
 illanimitas & audacia fortitudini; illud pro-  
 tum censetur gravius, quod virtuti est magis  
 dissimile, & hominem reddit magis indispo-  
 situm ad illam, hinc avaritia & pusillanimitas  
 sunt graviora peccata quàm prodigalitas & au-  
 dacia, quia priora magis distant & remouent  
 virtutibus. 5. Ex lege magis vel minus obliga-  
 te, sic comestio pomi in Adamo fuit peior quàm  
 nunc comestio carnis die vetito, aut quàm obli-  
 gata comestio porcinae apud Judæos; & universi-  
 ter, potest res etiam de se minus bona severius  
 præcipi tanquam magis utilis vel necessaria

certos fines. 6. Ex majori vel minori opposicione ad finem legis, sic legere totum librum hæreticum est gravius quàm legere paginam, quia legere totum est conjunctum cum majori periculo perversiõnis. 7. Ex majori vel minori facilitate vincendi, hinc dicit S. Th. a. 9. peccata spiritualia, v. g. superbiam, esse graviora quàm carnalia, quàmvis hæc magis infament, quia ob innatam concupiscentiam minùs resistere possumus carnalibus; hinc etiam peccata, quæ fiunt ex metu vel violentia, sunt minùs gravia. 8. Ex majori vel minori cognitione malitiæ vel motivi retrahentis, cum qua peccatur: Item ex majori vel minori intensiõne actûs voluntatis, quo peccatur: Item ex majore vel minore duratiõne peccati; sic enim invidia ad diem durans est gravior quàm durans ad horam, quia si malum est incipere, pejus est continuare. 9. Ex fine peccati, qui magis vel minùs est malus; sic magis peccat, qui furatur, ut se inebriet, quàm ut moderatè bibat. 10. Ex majore vel minore nocumento, quod inferitur: Item ex majore vel minore bono, quod tollitur, sic qui tollit famam, graviùs peccat, quàm qui fortunas. 11. Ex conditione personæ, contra quam peccatur, sic gravius est odisse Deum quàm hominem. 12. Ex conditione subjecti, quod peccat, sic peccatum in benefactorem commissum censetur indignius, quia subjectum ob acceptas gratias magis obligabatur colere. 13. Ex quibuscunque aliis circumstantiis, ob quas in æstimatione morali censetur minui vel augeri malitia.

§. 2. Ut judicari possit de majori gravitate hujus vel illius peccati, propter oppositionem cum

VIR-

virtute digniore vel minùs digna, debent inter  
 comparari peccata commissionis, v. g. hæresis  
 cum adulterio, & rectè dicimus hæresin esse gra-  
 viorem, quia opponitur fidei, adulterium  
 iustitiæ, quæ est virtus minùs digna quàm  
 fides: E contra si commissio comparatur cu-  
 ommissione, v. g. adulterium cum ommissione  
 præcepta hinc & nunc, adulterium erit gravius  
 quamvis illa ommissio sit contra fidem, quæ  
 dignior. Similiter fieri potest, ut vitium con-  
 nobiliorem virtutē sit minùs dissonum ratio-  
 vel minùs prohibitum, quàm vitium contra  
 tutem minùs nobilem, sic mendacium, quod  
 contra veracitatem, est minus peccatum, quàm  
 ebrietas, quæ est contra temperantiam, quàm  
 veracitas sit nobilior quàm temperantia: Item  
 borare die festo est minùs peccatum, quàm oc-  
 dere hominem, quamvis prius sit contra religio-  
 nem, quæ est dignior, quàm iustitia; & idem  
 de aliis: Hoc tamen universaliter verum est  
 quod summum peccatum contra virtutem  
 nobiliorem sit gravius, quàm summum peccatum  
 contra virtutem minùs nobilem, & hoc sufficit  
 ut peccatum dicatur desumere gravitatē ma-  
 iorem ab oppositione cum nobiliore virtute,  
 rectè notat *Aversa* q. 73. l. 2.

317. §. 3. Quando hinc dicimus aliquod peccatum  
 esse ex hoc vel illo majus altero, hoc intelligi  
 dum est, si reliqua sint paria, nam fieri potest  
 peccatum ex objecto & genere suo gravius  
 unde habeat tantum æqualem aut etiam mino-  
 rem malitiam; sic blasphemia est gravior quàm  
 homicidium, potest tamen fieri ex passione,  
 ut sit quidem mortalis, attamen minor

fensa, quàm homicidium plenè deliberatum, uti rectè S. Th. Suar. Arr. & alii communiter cum Compt. d. 103. s. 6. contra Durand. Vusq. & alios: Ratio est, quia sicuti difficillima mortificatio gulæ est Deo gratior quàm una genuflexio, quamvis hæc, utpote actus religionis, sit ex objecto melior, quàm actus temperantiæ, quæ est inferior virtus, ita poterit peccatum contra inferiorem virtutem propter alias circumstantias habere malitiam in se graviolem; & ratio utriusque à priori est, quia bonitas vel malitia non tantùm desumitur ex ratione generica objecti, sed etiam ex multis aliis, ratione quorum potest haberi excessus; nec inde sequitur, quòd species inferior attingat superiorem, nam manet, quòd blasphemia ex se & secundùm speciem sit gravior, cum quo stat, quòd homicidium possit esse gravius ratione aliorum, quæ in homicidio malitiam aggravant & in blasphemia minuant. Similia quoque sunt in physicis, nam folium arboris, cum sit vivens, est ex genere suo perfectius aliquid, quàm Sol, qui non vivit, cum quo tamen stat, quòd Sol sit simpliciter perfectior folio arboris: Consequenter dicendum est, quòd non possit dari regula universalis, ex qua sciamus, an hoc peccatum in individuo sit gravius altero necne, sed hoc esse definiendum ex complexione omnium eorum, ex quibus aggravari potest vel minui malitia.

Q. 24 Quid præterea circa distinctionem specificam peccatorum sit addendum. R. seqq.

118.

S. 1. Species, in genere, est completa essentia rei, sive, est hoc, quod res secundùm se totam est: hinc distingui specie, est distingui in aliquo

Tom. V.

H

essen-

essentia, quod notabiliter differat, five sit di-  
mille aliis : sic homo & brutum distinguuntur  
specie, quia distinguuntur in rationali & in-  
rationali, quæ notabiliter differunt, & quoniam  
primum essentialiter convenit homini, alteri  
bruto: ubi è contrà Petrus & Paulus non disti-  
guuntur specie, quia in nullo essentiali sic di-  
ferunt, nam sunt similes in animali & rationali  
quæ sunt tota eorum essentia; numero tam  
distinguuntur, quia non sunt unum & idem  
animal rationale, sed faciunt numerum, & sunt  
duo.

119. §. 1. Perinde est, five quærat, unde pec-  
specificentur, five quærat, unde accipiant  
am diversitatem specificam, nam specificatur  
accipere suam speciem, & sic distingui ab omni  
alio, specificare autem est alteri quasi dare suam  
speciem, & facere distingui ab omni alio, &  
quævis res specificatur intrinsecè per sua præ-  
dicata, per quæ intrinsecè constituitur & disti-  
guitur, prædicata autem illa dicuntur intrinsecè  
specificare rem, quia intrinsecè constituitur  
distinguunt: Similiter specificari extrinsecè  
respicere & accipere sua prædicata per respectum  
ad aliquid, specificare autem extrinsecè, est  
respicere, & sic terminando alterius respectum  
quasi tribuere sua prædicata, sic visio nigri  
visio albi sunt duo actus specie distincti, qui  
intrinsecè specificantur per sua prædicata, quæ  
sunt actio vitalis, sensatio externa & repræ-  
sentatio albi vel nigri; & hæc prædicata intrinsecè  
specificant ac distinguunt illas visiones, sed  
visio albi extrinsecè specificatur ab objecto albo, quæ  
per respectum ad album habet prædicatum

illud, quod sit representatio albi, per quod notabiliter differt à visione nigri, ideoque objectum album extrinsecè specificat illam visionem albi, quia terminando illum respectum facit notabiliter differre à visione nigri, & ita de aliis.

§. 3. Res aliquæ dici possunt distingui specie 110  
 Logicâ, Physicâ, Metaphysicâ, Ethicâ vel Theologicâ, si nempe notabiliter differant in aliquo, quod ab illis consideratur: sic ad Logicam spectat considerare prædicabilia vel universalia, hinc animal, brutum, arbor, non distinguuntur hac specie Logicâ, quia omnia spectant ad primum prædicabile seu genus: E contra animal, homo, rationalis, risibilis, albus; differunt specie Logicâ, quia singula spectant ad diversum prædicabile. *Physica* considerat res secundum entitates, ex quibus à parte rei constant, hinc homo specie physicâ differt à bruto, quia homo includit animam rationalem, brutum irrationalem, quæ secundum entitates suas notabiliter differunt. *Metaphysica* considerat essentias secundum conceptus abstractos supponentes totam essentiam physicam, hinc homo distinguitur specie metaphysicâ à bruto, quia homo in suo conceptu dicit rationale, brutum irrationale. *Ethica* considerat, quid deceat naturam rationalem, hinc quæ notabiliter differunt secundum convenientiam vel disconvenientiam cum natura rationali, differunt specie ethicâ, seu, ut alii vocant, philosophicâ. *Theologica* considerat res secundum hoc, quod habent per respectum ad Deum vel divina, uti an placeant vel displiceant Deo, quomodo præcipiantur vel prohibeantur à Deo, an sint vel non sint materia Sacramenti à Deo in-

rituti &c. hinc si aliqua notabiliter differant  
 uno horum, distinguuntur specie theologica  
 hz duz species, ethica ac theologica, uno  
 mine ab aliquibus vocantur species moralia  
 autem non inquiritur in speciem logicam, phi-  
 sicam aut metaphysicam actuum, qui sunt pe-  
 cata, sed in speciem moralem, & pręcipuę the-  
 logicam, seu in malitias notabiliter diversas,  
 in ordine ad Confessionem specialiter disti-  
 guendas, sive hz malitię infint uni actui, si  
 pluribus; quęritur autem pręcipuę de spec-  
 cativo extrinseco, unde nimirum & ex quo po-  
 simus colligere, quod uni vel pluribus actibus  
 infint malitię specie distinctę & specialiter  
 plicandę in Confessione.

221. §. 4. Valde difficile est pro hoc invenire unam  
 regulam, quę sit adęquata, id est, quę con-  
 niat omni & soli distinctioni specificę, ita  
 possimus dicere, ubicunque hęc regula inve-  
 nitur, ibi est distinctio specifica peccatorum,  
 ubicunque est distinctio specifica peccatorum  
 ibi hęc regula invenitur, hinc AA. in diversis  
 vias abierunt, nam 1. Aliqui pro regula ponunt  
 si peccata mereantur pęnas notabiliter diversa  
 tunc distinguuntur specie. 2. Alii cum *Gran.* dicunt  
 considerandam esse difformitatem, quam actus  
 peccati habet cum recta ratione, & tunc recurre-  
 rendum esse ad iudicium prudentum. 3. Alii  
 cum *Carden. & Bonasperi d. 2. n. 66.* dicunt non  
 posse absolutę & universaliter aliunde colligi  
 quàm ex communi prudentum sensu & apprehen-  
 sione. 4. Alii cum *Haunol. c. 1. contrav. 6.* di-  
 cunt inde esse colligendum, si in aliquo sit spe-  
 cialis ratio, cur prohibeatur: quod ut depre-  
 hendatur

hendas, compara duo peccata inter se, v. g. furtum 100. ducatorum & furtum unius ducati, item furtum & homicidium, & quære ex te, si peccatum, quod ex illis duobus est gravius, esset licitum, foretne etiam alterum licitum? nempe, si furtum 100. ducatorum foret licitum, foretne etiam licitum furtum unius ducati? si homicidium esset licitum, foretne etiam furtum licitum? si affirmas, non distinguuntur specie, quia non supererit ratio prohibendi: si negas, distinguuntur specie, quia adhuc erit ratio specialis illud prohibendi. 5. Alii cum *Palav. d. 11. q. 1. a. 1. n. 5.*, cui ex parte consentit *Esparfa*, dicunt colligendum esse ex diversis dictaminibus conscientiz, quibus peccata opponuntur. 6. Alii cum *Valent. Becano, Bonas. Rhod. d. 1. q. 1. f. 2.*, si opponantur diversis specie virtutibus, aut saltem si habeant diversum modum oppositionis ad eandem virtutem. 7. Alii cum *S. Th. 1. 2. q. 72. a. 1.*, Thomistis & *Amico d. 18.* dicunt colligendum esse ex objecto, fine, circumstantiis & modo tendendi. 8. Alii cum *Scoto, Vasq Laym Castrop. Platel.*, ex diversitate legum seu præceptorum, quibus peccata opponuntur.

§. 5. Ex hoc, quod aliqua peccata mereantur 122.  
etiam apud Deum pœnas notabiliter inæquales, non est certum signum, quod distinguantur specie, quia pœna debita furto centies mille ducatorum est notabiliter major, quàm pœna debita furto unius ducati, sicuti centum millia sunt notabiliter plùs, quàm unum, & tamen non est certum, quod ista duo peccata distinguantur specie, imò sententia opposita est longè communior. Similiter ex hoc, quod duo peccata



mereantur poenam æqualem, non sequitur  
 ejusdem speciei, quia possunt duo peccata  
 specie diversa esse æqualia in malitia, & consequenter  
 mereri æqualem poenam, uti constat ex  
 actis n. 117. Denique ex poenis malè inquiritur  
 specifica distinctio, nam prius est species peccati,  
 quàm respectus ad poenam, neque opus  
 præcognosci poenam, ut incurratur malitia,  
 ergo ex respectu ad poenam non rectè colligitur  
 species.

123. §. 6. Ubi inveniuntur notabiliter diverse  
 disconvenientiæ cum natura rationali, ibi sunt  
 malitiæ specie distinctæ, & consequenter malitiæ  
 quæ differunt specie ethicâ, etiam differunt  
 specie Theologicâ, hæc tamen regula non est  
 æquata. Ratio 1. partis est, quia malitia prohibetur  
 à Deo, secundum disconvenientiam, quæ  
 habet cum natura rationali, quæ exigit hoc  
 illo modo prohiberi, prout in se major est  
 minor, natura enim rationalis est participans  
 quædam rationis divinæ, cui respondet lux  
 eterna Dei, ergo ubi sunt malitiæ specie ethicâ  
 distinctæ, rectè inferimus esse malitiæ specie Theologicâ  
 distinctas. Pars altera, quod regula illa  
 sit adæquata, patet, quia non conveniunt peccata  
 ideo malis, quia prohibita sunt, dantur enim  
 peccata specie distincta, quamvis de se non discon-  
 veniant naturæ rationali, uti sunt labor sabbati  
 die festo, comestio carnis die Veneris &c.

124. §. 7. Malè remittitur ad nudum iudicium  
 prudentum pro scienda distinctioe speciei,  
 quia prudentes ipsi dubitant, an in hoc vel  
 actu sit multiplex malitia, nec tamen hi  
 debent remittere ad alios prudentes, sed  
 debent remittere ad alios prudentes, sed

regulas seu fundamenta, unde debeat judicari, quod in fit vel non in fit alia malitia specifica. Nec juvat, quod dicit Bonæ-spei, quod iudicium prudentum habeat suum fundamentum in fine legum moralium, nam hinc sequetur, quod ex fine legum debeat ultimò peti differentia specifica, atque ita hæc sententia relabatur in illam, de qua dicemus à n. 130. ; manetque explicandum, quandonam lex vel finis legis cæseri debeat notabiliter diversus.

§. 8. Ubi in peccatis reperitur ratio prohibendi notabiliter diversa, ibi sunt malitiæ speciei diversæ, & viceversâ, ubi sunt malitiæ speciei diversæ, ibi etiam reperitur diversa ratio prohibendi. *Probat*, quia ubi sunt tales diversæ rationes prohibendi, ibi etiam sunt, vel diversæ disconvenientiæ cum natura rationali, vel saltem diversæ leges propter diversam illam rationem prohibentes actum, ex utroque autem capite rectè infertur diversa specie malitia, ut constat, partim ex dictis n. 123., partim ex dicendis n. 129.; Hæc tamen regula, prout eam explicat *Haut.* relatus n. 121. non est adæquata, nam multa distinguuntur specie, in quibus secundum explicationem ipsius non videtur esse talis diversa ratio prohibendi, nam si liceret fornicatio cum consanguinea, secundum principia ipsius etiam liceret cum non consanguinea; si liceret pollutio, etiam liceret delectatio carnalis; si liceret desiderium turpe, etiam liceret delectatio morosa; si liceret per contumeliam imminuere famam præsentis, etiam liceret per detractionem imminuere famam absentis; si liceret rapere, etiam liceret furari; si liceret furtum

mortale, etiam liceret veniale &c. & tamen  
omnia hæc peccata specie inter se distinguuntur.  
Quod si aliter velit applicari regulam illam, su-  
gendo nempe unum peccatum esse impossibile  
& tum videndo, an adhuc esset ratio prohiben-  
di alterum, jam minus valebit regula, nam  
furtum duorum ducatorum esset impossibile  
adhuc esset prorsus eadem ratio, quæ nunc est  
prohibendi furtum unius ducati, & tamen, si  
eandem ipsam, furtum duorum & unius ducati  
non differunt specie. Licet autem regula expli-  
cetur, prout initio exposuimus, sicque vide-  
tur esse adæquata, tamen per eam necdum sci-  
mus, quandonam & unde colligi debeat, quod  
in his v. illis sit diversa ratio prohibendi, pro-  
fertim quoad illa, quæ ratione suâ non sunt ma-  
la, sed tantummodo, quia prohibita sunt, unde  
necessarium est inquirere in aliam ulteriorem  
regulam.

126. §. 9. Peccata illa differunt specie, quæ sunt  
contra dictamina specie diversa, & viceversa  
quæ peccata sunt contra dictamina specie diver-  
sa, etiam differunt specie, uti patet, quia illa dic-  
tamina proxime participant moralitatem oby-  
ctivam, & refundunt moralitatem formalem in  
actus, quos imperant vel dirigunt: sed remanet  
quæstio, quandonam dictamina debeant dici  
specie diversa, hinc sola hæc regula non sufficit  
servit tamen ad hoc, ut sciamus peccata sic esse  
confitenda, sicuti fuerunt dictamina, quando  
committebantur, tum enim est contracta mali-  
taria, qualis cognoscebatur, nec postea respec-  
tu ejusdem actus immutari potest.

127. §. 10. Si actus unus vel plures habeant oppo-  
sitionem

fictionem cum diversis specie virtutibus, rectè arguimus esse in actibus vel actu illo unico diversas specie malitias, hæc tamen regula non est adæquata. Pars 1. explicatur, nam furtum rei sacræ est unus actus, qui habet oppositionem cum virtute iustitiæ, in quantum est violatio juris alieni; & cum virtute religionis, in quantum est violatio rei sacræ, hinc rectè arguimus in eo peccato esse duas specie malitias, nempe injustitiæ & sacrilegii. Ratio autem est, quia honestas virtutis est maxime conformis naturæ rationali, contra quam Deus prohibet agi per actum illi oppositum, ergo per talem actum contra eam agere, est agere difformiter à natura rationali & lege Dei, ergo ubi sic agitur contra diversam honestatem hujus & illius virtutis, est diversa difformitas à natura rationali & lege Dei, adeoque distincta specie malitia. Dixi, per actum oppositum, sive, qui fit contra honestatem virtutis, nam si fit tantum præter virtutem, uti ommissio Missæ dis feriali, quæ tantum est contra consilium, & non est contra sed tantum præter virtutem religionis, quæ non obligat tum, sed tantum consult, & per omissionem præteritur, ex tali neglectu virtutis non refunditur malitia peccati, uti patet. Pars altera, quod hæc regula non sit adæquata, etiam probatur, quia dantur peccata specie distincta, quæ opponuntur eidem virtuti, uti avaritia & prodigalitas liberalitati. Si dicas, opponi diverso modo, avaritiam per defectum, & prodigalitem per excessum, contra est, ergo non habetur præcisè ex oppositione ad diversas virtutes, nam illi ipsi duo diversi modi sunt circa eandem virtutem: deinde quamvis

modus sit diversus, hoc tamen est impertinens ad virtutem, nam eidem justitiæ eodem modo quantum ad justitiam pertinet, opponitur detestatio & judicium temerarium; item eidem caritati per excessum opponuntur desiderium morosa & delectatio circa pollutionem, item incontinentia & bestialitas; similiter eidem Charitati per defectum opponuntur mortale & veniale, tamen omnia illa peccata specie distinguuntur. Denique æquè obscurum manet, quando nempe li modi oppositionum debeant dici vel non debent notabiliter diversi, ergo.

128. §. 11. Si objectum vel modus tendendi ad peccaminosi sit notabiliter diversus in genere moris, rectè colligimus malitiam specie diversam inesse actui: & vice versâ, si malitia specie diversa in sit actui, hoc erit vel ratione objecti vel ratione modi tendendi notabiliter diversum in genere moris, adeoque hæc est una adæquata regula ad dignoscendam diversitatem specierum malitiarum. Pars 1. probatur, quia, improprie si objectum in genere moris sit notabiliter diversum, moralitas objectiva erit notabiliter diversa, ad hanc autem terminabitur actus adeoque in actum refundetur moralitas formalis notabiliter diversa & distinctæ speciei: unde si modus tendendi sit notabiliter diversus in genere moris, intrinsicè specificabit actum ratione malitiæ notabiliter diversæ in genere moris. Ratio utriusque à priori est, quia omnis actus vitalis est essentialis tendentis in objectum, & modus, quo actus in objectum tendit, etiam est essentialis actui, ut ex philosophia suppono, ergo sicuti omnis actus physicè spectatus

specificatur ab objecto & modo tendendi physice considerato, ita omnis actus in genere moris spectatus specificabitur ab objecto & modo tendendi in genere moris considerato. Pars altera etiam probatur, quia ubicunque in actu uno vel pluribus sunt diversæ speciei malitiæ, aut objecta sunt notabiliter diversa, à quibus diversæ malitiæ refundantur, aut si objecta non sint notabiliter diversa, diversitas specifica non potest aliunde haberi, quàm ex modo tendendi, quia quidquid præter modum tendendi specificat actum in genere moris, hoc constituit objectum in genere moris, sive illud se teneat ex parte peccantis, sive ex parte illius, contra quem peccatur, sive ex parte rei, circa quam peccatur, sive sit finis peccantis aut alia circumstantia objecti, sive sit etiam lex positiva vel diversus modus cognoscendi, cui substat objectum, hæc enim omnia faciunt objectum respectu operantis esse diversum in genere moris, communis enim & certa sententia est, inquit *Amicus* d. 14. n. 120., quòd ex nulla planè circumstantia, nequidem ex ipsamet intentione actus, possit refundi moralitas formalis in ratione virtutis vel vitii, nisi talis circumstantia præcognoscatur, quia quod non objicitur intellectui, nec objicitur vel imputari potest voluntati, adeoque objectum prout huic vel illi cognitioni substat, erit notabiliter diversum in genere moris, atque ita convenienter dici possit, quòd objectum sit specificativum extrinsecum adæquatum respectu omnium peccatorum speciei distinctorum, cur autem dicam specificationem partialiter sumi à modo tendendi, ratio hæc est, quia multi do-

genæ

cent duo peccata, v. g. duo desideria circa idem  
 objectum carnis, eodem modo & cum iisdem  
 circumstantiis representatum dari posse, quo-  
 rum unum sit mortale alterum veniale, prae-  
 ratione consensûs pleni aut semipleni ex parte  
 modi diversi tendendi, quem habet voluntas  
 quamvis ex parte intellectûs sit eadem profusa  
 advertentia ad malitiam; quam sententiam pro-  
 nunc admitto, in hac autem assignari non potest  
 ullum specificativum diversum ex parte objecti  
 ergo peccari debet ex modo, quo se applicat volun-  
 tas vel tendit in objectum.

129. *Obi* Peccatum mortale & veniale, si sit  
 circa eandem materiam, non distinguuntur spe-  
 cie, ergo propter hoc male recurritur ad ma-  
 dum tendendi, adeoque specificativum ad  
 quatum malitiae erit solum objectum. Ita Dico-  
 De poenit. d. 9. n. 173. Herinx d. 5. n. 44. R. de  
 controv. 6. & alii. R. Non distinguuntur specie  
 physicâ, transeat; morali, & quidem theologica  
 n., Ratio est, quia imprimis differunt notabiliter  
 in ratione offensae & displicentiae respectu  
 Dei, nam mortale est simpliciter offensa, ita dis-  
 splicens Deo, ut tollat amicitiam, & sit punibile  
 poenâ aeternâ; veniale autem est tantum secun-  
 dum quid offensa, nec ita displicet Deo, ut tollat  
 amicitiam, nec ratione suâ puniri potest poenâ  
 aeternâ: Deinde notabiliter differunt in ordine  
 ad Sacramenta, nam mortale est materia neces-  
 saria Poenitentiae, veniale est libera; mortale im-  
 pedit gratiam, quae est effectus Sacramenti, ve-  
 niale non impedit &c., ergo differunt specie  
 theologica.

130. §. 12. Ubi agitur contra leges formaliter di-  
 versas

verfas, ibi sunt plures specie malitiæ; & E contra ubi sunt plures specie malitiæ, ibi agitur contra leges formaliter diversas, adeoque hæc est altera regula adæquata pro dignoscenda diversa specie malitiarum. Pars 1. probatur, quia malitia actûs, ex essentia sua, est tendentia in legem, contra quam ponitur, & cui actus malus est difformis, ergo ubi sunt leges formaliter diversæ, erunt difformitates ad legem notabiliter diversæ, adeoque malitiæ specie distinctæ. Pars altera etiam probatur, quia diversæ illæ species, vel sunt malæ, quia sunt prohibitiæ, vel ex se intrinsecè sunt malæ; si sint malæ, quia prohibitiæ, patet esse contra leges formaliter diversas, ubi enim prohibentur plures specie malitiæ, sunt leges formaliter diversæ, ut statim dicetur: si ex se intrinsecè sunt malæ, adhuc sunt contra legem naturæ & Dei æternam, quæ lex virtualiter est tam multiplex specie, quàm multiplex specie est malitia illa intrinsecè; & universaliter omnis malitia, sive gravis sive levis, sive sit talis intrinsecè sive tantùm ratione prohibitionis, semper est contra legem Dei æternam, quæ dat vim obligandi, & quasi informat singulas alias leges, hinc lex æterna est toties virtualiter diversa, quoties informat leges humanas formaliter diversas.

*Obi.* Consensus plenus & semiplenus in ob- 131.  
jectum turpe sunt peccata specie distincta, secundùm dicta n. 129., cum unum sit mortale alterum veniale, sed sunt contra eandem formaliter legem, non moechaberis, quæ ex eodem motivo castitatis prohibet utrumque, ergo possunt duo peccata specie distincta esse contra eandem forma-



formaliter legem. R. n. min. Lex enim natura  
 & lex æterna Dei, itemque lex illa positiva, & pro  
 mœchaberis, est virtualiter multiplex, & pro  
 respicit consensum semiplenum, qui intrinsicè  
 venialiter tantùm est malus, adeoque exigit tan  
 tùm leviter prohiberi, differt specie formali  
 ratione legis à seipsa, prout respicit consensum  
 plenum; qui intrinsicè mortaliter malus est, &  
 exigit prohiberi graviter. *Nec obstat*, quòd  
 illa sit una realiter, Nam etiam omnipotentis  
 sapientia in Deo, item animal & rationale in  
 tro sunt realiter una res, & tamen loquendo  
 sensu formali distinguuntur specie, propter  
 spectus ad connotata vel effectus notabiliter  
 versos: unde universaliter dicere solent Phi  
 losophi, quòd ea, quæ differunt notabiliter, di  
 rant specie, ideoque si realiter distinguantur  
 differant specie reali, si realiter sint idem, di  
 rant specie formali tantùm, quod hinc sufficit  
 habendam legem formaliter diversam, si  
 qua adsint, de quibus dicitur à n. 132. Ad  
 quòd lex in actu primo proximo obligativa  
 cludat promulgationem, promulgatio autem  
 legis naturæ vel legis æternæ Dei est dictamen  
 quo conscientia dicit hoc vel illud dissonantem  
 natura rationali vel lege æterna Dei, tale ve  
 dictamen semper est aliud, quando malitia ob  
 jectiva est alia specie, ergo ubi malitia ob  
 jectiva est specie reali diversa, etiam lex ut obligativa  
 in actu primo proximo erit specie reali saltem  
 inadæquatè diversa, quod iterum hinc sufficit

132. Q. 25. Quando nam leges censentur ita diverse  
 ut aliam specie malitiam in actum refundant. R.

§. 1. Leges possunt esse diversæ, vel materiæ

ter vel formaliter : Tunc sunt materialiter diversæ , quando secundum entitates suas sunt plures & distinctæ , v. g. quia una est naturalis, alia positiva ; una à Deo , alia ab homine ; una uno , alia alio tempore lata. Tunc sunt formaliter , seu in ratione legis diversæ , quando una affert diversam ab alia vim obligativam , obligatio enim est quasi forma seu anima legis : Tunc autem una censetur afferre diversam ab alia vim obligativam , quando versantur , vel circa materias notabiliter diversas , vel circa eandem quidem materiam , sed ex diversis motivis formalibus ; vel si materia & etiam motivum sit idem , quando aliunde constat , quod legislator velit afferre diversam vim obligativam , uti jam declarabitur.

1. Ecclesia ex motivo temperantiæ præcipit 133  
 jejunium in quatuor temporibus , item in quadragesima , item in quibusdam vigiliis SS. ; unde si vigilia S. Matthiæ incidat in quatuor tempora quadragesimæ , sunt tres leges jejunii , ab Ecclesia latæ pro eadem die , & totidem leges Dei , quæ assistunt & velut informant illas leges Ecclesiæ , attamen omnes illæ leges sunt tantum materialiter diversæ , & formaliter una , quia est una materia , idem motivum temperantiæ , nec scimus intendi diversam vim obligativam , hinc qui tunc comedit carnes , satisfacit in Confessione dicendo , semel comedi carnes die jejunii. Et simili modo est loquendum de plurimis aliis legibus , quæ idem prohibent ex eodem motivo , sic enim homicidium prohibetur lege naturæ , lege æternâ , lege positivâ divinâ & humanâ , est tamen homicidium unicum specie peccatum ,  
 quamvis

quamvis contra tot leges, quæ materialiter tunc sunt plures.

134. 1. Ecclesia in die festo præcipit beneficiato dire Missam & legere Horas, quarum legum tivum est idem Dei cultus, quia tamen illæ teriz sunt ita notabiliter diversæ, rectè colligimus esse leges formaliter diversas: hinc si beneficiatus die festo omittat Missam & Horas, satisfacit dicendo, semel neglexi colere festum, sed addere debet, neglexi colere, tendo Missam & Horas. Si dicas, committis siosum circulum, nam ideo leges præcipientes v. g. Missam & Horas, dicuntur esse formaliter diversæ, quia materiæ sunt in genere moris notabiliter diversæ, & ideo materiæ dicuntur in genere moris notabiliter diversæ, quia leges sunt formaliter diversæ. *℞.* Vel materiæ habent, quòd sint notabiliter diversæ in genere moris, ut sunt materiæ intrinsecè malæ, quæ natura sua habent diversas inhonestates obiectivas; vel si ex se non habeant, saltem habent de, quia legislator vult ad illas esse diversam obligativam, cuius suæ voluntatis aliam rationem priorem habebit, & aliquando poterit diversa aptitudo, quam habent istæ materiæ fines ab eo intentos.

135. 3. Si jejunium ab Ecclesia præceptum ei mihi præcipiatur à Superiore ex motivo obedientiz servandum, item à Confessario imponatur pro pœnitentia sacramentali, & ego præter ea illud voverim, sunt 4. quasi leges formaliter diversæ, 1. Ecclesiæ ex motivo temperantiz Superioris ex motivo obedientiz. 3. Confessarii ex motivo pœnitentiz. 4. Voti ex motivo

religionis; hinc si transgrediar per actum physice unum, contraho quatuor specie malitias, nec satisfacio confitendo, semel transgressus sum jejunium, ad quod graviter obligabar, sed addere debeo, ad quod obligabar ex lege Ecclesie, ex precepto Superioris, ex mandato Confessarii, & ex voto.

4. Si lex eundem laborem edificandi propugnaculi ex eodem motivo defendendæ patriæ præcipiat viris sub gravi obligatione & pœna, mulieribus autem sub levi obligatione & pœna, sunt duæ formaliter leges, loquendo conformiter ad dicta n. 129., non ratione materiæ vel motivi, quæ sunt eadem, sed tantùm quia legislator manifestat se velle afferre aliam his, aliam illis vim obligativam; & universaliter verum est, quod leges aliquæ, & maximè præcepta respectu personarum particularium lata, possint esse vel non esse formaliter diversa, secundùm intentionem, quam præcipiens habet, adferendi hanc vel illam vim obligativam, sive materiæ sint similes sive diversæ; sic si parens filio suo hodie imperet studium, cras orationem per horam, semper sub gravi præcepto, quamvis materiæ sint notabiliter diversæ, tamen neglectus studii non distinguetur specie à neglectu orationis, hinc satisfaciet dicendo, bis sui graviter inobediens parenti, uti cum communiore tenet *Sanch. in Decal. l. 4 c. 11. n. 25.* Et idem est ordinariè in voto, quod est quasi lex particularis, quam quis sibi imponit, si enim quis frangat votum jejunii & aliud votum orandi rosarium, sunt duo peccata solo numero distincta, & satisfacit dicendo, bis fregi grave votum.

136.

137. §. 2. Motivum legis, aliud dicitur intrinsecum, aliud extrinsecum: Intrinsecum, est honestas virtutis vel inhonestas vitii, ad quam virtutem vel vitium ex se aut ex circumstantiis tinet hoc, quod præcipitur vel prohibetur, lex una præcipit jejunium, altera prohibet ebriationem, honestas temperantiae, quæ est jejunio præcepto, & inhonestas intemperantiae, quæ est in ebriatione prohibita, sunt motiva intrinsecum utriusque legis. Motivum extrinsecum est, quod advenit à voluntate legislatoris, qui posset præcipere jejunium, v. g. ut conservetur castitas. Debet autem motivum illud intrinsecum aliquo modo, vel ex natura sua, vel ex circumstantiis esse connexum, seu potest deducere ad alterum saltem perfectius obiectum, ita ut unum sit vel ut medium, alterum finis, alioquin non erit referibile ad talem virtutem. Porro quodcumque aliud non continetur in virtute vel circumstantiis legum, item quod non est dubium est, an aliquid præcipiatur aut prohibeatur ex alio, præterquam ex motivo intrinsecum, præsumi debet, quod fiat ex motivo extrinsecum intrinsecum, quia hoc est frequentius & naturalius: Si autem legislator exprimat aliud in ferendam legem motum esse etiam ex alio motivo extrinsecum, ita tamen, ut non ideo observari ex eo motivo, aut poni in virtute talis virtutis, non ideo formaliter multiplicatur lex, hinc quando Ecclesia præcipit jejunium in vigilia S. Matthiae occurrente in quadragesima, quamvis fortè moveatur etiam extrinsecum motivo religionis, nempe ut honoretur S. Mattheus, tamen rectè judicamus manere unam legem.

cum lege jejunii quadragesimalis de jejunio observando ex motivo solius temperantiae, quia meas illa alia Ecclesiae nobis nota non est, nec ulli significavit se velle observari ex motivo religionis.

§. 3. Si lex non habeat aliud motivum intrinsecum, rectè colligimus intendi, ut observetur ex motivo extrinseco, & tunc, si non observetur, refundetur in actum malitia huic motivo extrinseco opposita, v. g. Ecclesia prohibet servilem laborem die festo, scimus autem nullum esse motivum intrinsecum, propter quod labor de se honestus prohibeatur, hinc rectè colligimus prohiberi ex fine extrinseco diem festum colendi, qui cultus cum spectet ad virtutem religionis, qui tunc laborat, peccat contra virtutem religionis. E contra si lex habeat aliud motivum intrinsecum, & constet legislatorem simul intendere, ut lex impleatur etiam ex alio motivo extrinseco, v. g. si lex obedientiae prohibeat sub mortali, ne quis Religiosus per fenestras in plateam prospiciat, expressè etiam ex eo motivo, ut sic consulatur castitati Religiosorum, quamvis aliqui dixerint talem rem præceptam vel prohibitam non poni in specie alterius virtutis, ex cujus motivo lex ponitur, idèoque talem aspectum, si fiat, quando scitur nullum esse periculum castitatis, non fore contra castitatem, sed tantum contra obedientiam, tamen oppositum diximus cum communi l. 1. à n. 624, ubi plura huc spectantia videri possunt. Imò docet Oviedo controv. 1. n. 26., si Superior mihi imperaret jejunium ex solo motivo temperantiae, & non obedientiae observandum, si obser-

varem, etiam ideo, quia præceptum est, me quidem fore temperantem & obedientem, si autem non observarem, me fore intemperantem, & non inobedientem, quia hoc jejunium fit præ illud præceptum materia necessaria temperantiz, & fit materia apta obedientiz, sed non necessaria; aliud enim est objectum pertinere ad hanc virtutem, aliud esse materiam necessariam hujus virtutis, quæ enim sunt de consuetudine uti est jejunium die non præcepto, spectant quidem ad virtutem temperantiz vel aliam, non tamen sunt materia necessaria; & ita dicit Origenes nullum de facto esse præceptum in Ecclesia, impositum intuitu obedientiz, sed ex alio motivo intrinseco vel extrinseco.

139. Q. 26. Quid hic præterea sit notandum circa distinctionem specificam peccatorum commissionis & omissionis. R. seqq. Quid sit peccatum commissionis & omissionis, dictum est n. 7., si autem commissio & ommissio sint circa diversa, uti furtum & ommissio Missæ die festo, certum est distinguere specie morali: E contra si sint circa eandem virtutem & objectum, non est ita certum, nam possunt differre specie, Caj. Alv. alique cum Gratiano d. 3. n. 166., sed plerique docent distinguere specie, ita ut multi, teste Oviedo controvers. 5. n. 1. dicant oppositum esse aperte falsum: necesse autem est id examinare, ut sciamus, quæ ratio ejusmodi peccata secundum speciem suam fit in Confessione explicanda.

140. §. 1. Aliqua peccata commissionis & omissionis, etiam si sint circa eandem virtutem & objectum, distinguuntur specie, nam odium & non amor Dei, item hærens & ignorantia respectu ejusdem

ejusdem articuli, sunt peccata commissionis & omissionis circa eandem virtutem & objectum, hæc autem distinguuntur specie, quia diversa est inhonestas & notabiliter major difformitas à natura rationali, positivè odisse Deum, volendo ei malum, & purè omittere amorem illius præceptum; Item positivè negare mysterium Trinitatis per hæresin, & purè non credere, vel non addiscere, uti rectè probat *Dicast. de Pœn. d. 9. à n. 396.*; Item longè major est inhonestas positivè jugulare hominem, & permittere smori fame: quod etiam à posteriori colligitur, nam si non differrent specie, non esset opus illa speciatim explicare in Confessione, quod licèt concedant *Arav. Montesin. & alii*, tamen *Gonet* meritò dicit hoc non esse tutum, unde ipse putat ideo debere speciatim explicari, quia quamvis non sint distinctæ species, tamen etiam non sunt tantùm circumstantiæ aggravantes, sed sunt partes diversæ integrantes unam speciem, uti innuit *S. Th. 2. 2. q. 79. a. 3. O.*, ex odio enim & non amore Dei conflatur una species, quæ est unum specie essentiali peccatum contra charitatem Deo debitam; & similiter loquitur in aliis materiis. *Contrà* est, duæ illæ partes integrantes, si comparentur inter se, vel distinguuntur specie morali vel non; si distinguuntur, sunt speciatim confitendæ; si non distinguuntur, ergo nec distinguuntur rapina & furtum, aut furtum & detractio, pariter enim dicam esse tantùm partes integrantes, quæ conflent unam speciem essentialem injustitiæ, & ita de aliis innumeris peccatis in eadem specie subalterna, quæ tamen



certum est distingui specie infimâ, & in Confessione esse speciatim explicanda.

141. *Obji.* 1. *S. Thom.* 1. 2. q. 72. a. 6. expressè docet commissionem & omissionem non differre formaliter specie. Quod *Conf.* celebri illo effatur *S. Ambrosii*, si non pavisti, occidisti, id est, si non pavisti esurientem, quando id facere tenebatur moraliter loquendo eum occidisti, ergo non pascere & occidere sunt ejusdem speciei. *Respon.* *Thom.* 2. 2. q. 79. a. 2. 3. & 4. expressè docet peccatum transgressionis, id est, commissionis, esse speciale peccatum, distinctum à peccato omissionis: ut ergo hæc loca concilientur, dicendum est, quòd in priore loco velit non differre specie quando præceptum affirmativum & negativum materialiter tantùm differunt, secundùm dicendum n. 144., & ideo ibi expressè addit, quando procedunt ex eodem motivo & ad eundem finem, utiturque exemplo avari, qui furatur non dat, quæ debet: In posteriore autem loco vult distingui specie, quando nempe præceptum negativum & affirmativum sunt formaliter diversa, qualia sunt in casibus n. 140. relatis, id est, que hic utitur exemplo, si quis contra præceptum affirmativum imperans honorari paratus, omittat honorare, cum deberet, & contra præceptum negativum prohibens inhonorat inferat eis contumeliam aut injuriam, quæ potest distingui specie. *Ad Conf.* dist., si non pavisti, occidisti, æquivalenter, quantum ad effectum peccati sicum, qui est mors, c., moraliter, quantum ad eandem specie malitiam, n.

142. *Obji.* 2. Si explodam in hoc, quod video, occidam hominem, est peccatum ejusdem specie

ciei, sive sciam sive culpabiliter ignorem esse hominem, ergo etiam est ejusdem speciei, sive sciam & discredam, sive culpabiliter ignorem & non credam mysterium fidei. *R. n. conseq.*, quia utraque occisio semper est peccatum commissionis, sive causetur ex scientia, sive ex ignorantia culpabili, quia per utramque occisio talis fit voluntaria, quod sufficit ad idem homicidium: E contra positivè discredere est peccatum commissionis habens longè aliam inhonestatem ab illo, quod est omittere credere, vel non discere mysteria, quod est peccatum solius omissionis, ergo non est paritas.

*Inst.* Ergo saltem error in fide, qui causatur ab ignorantia culpabili, erit ejusdem speciei cum errore, qui fit ex scientia, & est propriè dicta hæresis. *R.* Transeat, quia non facit ad hanc rem, cum utrobique sit commissio: Sequelam autem concedunt *Sot.* & alii multi: Negant *Vasq.* & alii cum *Dicast.* à n. 400., nam quamvis peccatum, quod causatur ex ignorantia & ex scientia, sit ejusdem speciei, tamen in casu allato non causatur idem peccatum, quia hæresis prærequirit scientiam, cum debeat esse error cum pertinacia, quicumque autem alius error non prærequirit scientiam, ergo non est idem peccatum, quod hic causatur ex scientia & ex ignorantia. Vide *Dicast.* suprà.

§. 2. Alique peccata commissionis & omissionis nequidem numero distinguuntur, uti rectè *Suar.* d. 3. s. 1., nam studium, propter quod omitteretur Missa die festo, est peccatum commissionis contra præceptum negativum prohibens poni impedimentum Missæ præceptæ, uti probatur

bitur l. 6. p. 2. à n. 942. ( ubi etiam dicitur, quod id, quod est ejusmodi causa peccati, vel concomitaater habet ad illud, etiam sine necessitate confitendum ) omiffio autem illius Missæ est peccatum omiffionis contra præceptum affirmativum audiendi Missam; Item furtum est peccatum commissionis contra præceptum negativum non furandi, omiffio autem restitutionis est peccatum omiffionis contra præceptum affirmativum reddendi ablatum, ut sic reparatur æqualitas jurium, sed hæc peccata nequidem numero distinguuntur, ergo. *Prob. minus* quia tale studium non habet aliam malitiam nisi quam habet omiffio Missæ; Item omiffio restitutionis etiam habet solam malitiam furti quod continuatur, ergo hæc peccata nequidem numero distinguuntur: quod etiam à posteriori colligitur, nam si esset duo numero peccata qui omiffisset Missam, deberet in Confessione dicere, cur & quid fecisset tempore Missæ; Item qui furatus esset, & per tres dies retinisset, deberet etiam hanc retentionem specialiter explicare, quorum utrumque est contra praxin confitentium.

145. *Obji.* Præceptum negativum obligans semper pro semper est formaliter diversum ab affirmativo non obligante pro semper, ergo commissio & omiffio semper sunt contra præcepta formaliter diversa, ergo semper distinguuntur specie. *R. n. antec.* In casibus n. 140. relatis præcepta negativa & affirmativa sunt formaliter diversa, quia est alius finis prohibendi unum objectum & imperandi alterum, estque etiam longè alia inhonestas in transgressione unius quàm alterius.

rius: in casibus n. 144. allatis præcepta negativa & affirmativa differunt materialiter tantum, quia est idem finis & eadem ratio prohibendi unum & imperandi alterum, ideoque etiam in transgressione eorum non occurrit diversa inhonestas, propter ea enim prohibetur tale studium, quia intenditur honestas Missæ, quæ etiam intenditur per præceptum imperans Missam, nec est alia malitia in studio, nisi quia impedit Missam: Similiter ideo imperatur restitutio, ne continuetur furtum, nec est alia malitia in omissione restitutionis, nisi quia esset continuatum furtum, ergo talia præcepta sunt tantum materialiter diversa.

*Inst. 1.* Si tale studium tantum habeat malitiam omissionis Missæ, ergo dici debet peccatum omissionis, quia tale dici debet peccatum, qualis est malitia, sed malitia est omissionis, ergo & peccatum. *R. n. seq. & maj. probationis*, alioquin peccatum externum deberet dici internum, quia malitia ejus est interna: itaque denominatio commissionis etiam sumi potest ab oppositione immediata cum præcepto negativo, quale est, *non pones impedimentum Missæ tibi præceptæ.*

*Inst. 2.* Talis est malitia formalis, qualis est objectiva, sed malitia objectiva est omissionis, ergo & malitia formalis. *R. n. maj.*, alioquin malitia formalis actus interni, v. g. voluntatis furandi, esset externa, quia malitia objectiva est externa, uti rectè *Rhodes d. 1. q. 2. s. 2. §. 2.*

*Inst. 3.* Actus ille, est peccatum per omissionem ultimò constitutum, ergo absolute dici debet peccatum omissionis, quamvis dici possit

actus commissionis, ita *Gonet* n. 139. R. n. con-  
seq., dicitur enim commissio, quia habet oppo-  
sitionem cum præcepto negativo.

*Inst.* 4. Frustra ibi fingitur præceptum negati-  
vum distinctum, quia posito solo præcepto affir-  
mativo Missæ, si ponamus non dari illud negati-  
vum, adhuc peccabitur contra præceptum affir-  
mativum Missæ, si studeatur tempore Missæ, et-  
go. R. Si per conceptum excludas præceptum  
negativum prohibens semper pro semper non  
poni impedimentum objecto præcepto, con-  
cedo non peccandum contra illud; si autem sup-  
ponatur illud esse, uti reipsa est, & necessariò se-  
quitur ex præcepto affirmativo, peccatur contra  
illud, & etiam contra affirmativum: sunt autem  
distincta præcepta, quia affirmativum est posi-  
tivum, de re non necessaria; negativum est ne-  
turale de re necessariò mala, semper enim est in-  
trinsecè malum ponere impedimentum actioni  
præceptæ, tempore illo, quo est obligatio illam  
ponendi. Quod *Conf.*, nam omnes fateri debent,  
quòd in eiusmodi præceptis affirmativis fun-  
dentur negativa, ergo.

Regulas hætenus traditas pro dignoscendo  
specificâ distinctione peccatorum applicabimus  
ad praxin l. 6. p. 1. quando de Confessione, ubi  
percurrendo præcepta Decalogi & Ecclesiæ  
item alia genera peccatorum. ostendemus, quid  
necessariò debeat vel non debeat in Confessione  
exprimi.

## ARTICULUS II.

*Quæ peccata distinguantur numero.*

**R**esp Numero distinguuntur duobus modis, 146.

1. Ex diversis objectis numero totalibus, non materialiter & physicè tantùm, sed etiam formaliter & moraliter distinctis. 2. Per interruptionem actuum moralem. *Fill. 2. 21 cap. 8.*

Dico, *moralem*: quia etsi ad distinctionem numericam physicè sufficiat quævis interruptio, in ordine tamen ad Confessionem, non multiplicatur, nisi moraliter multi sint, quia sicut in Confessione actus moralis, ita etiam multiplicatio & distinctio moralis attendi debet.

Porro actus moraliter interrumpuntur, ita ut nec virtualiter, nec interpretativè manere censeantur, 1. Per contrariam voluntatem & propositum. 2. Per cessationem ab actu voluntariam & liberam. 3. Per cessationem involuntariam & naturalem, sive ea fiat per somnum sive per distractionem ad alia: Per somnum quidem, quia cum in illo cesset usus rationis, non continetur actio libera & moralis: per distractionem verò, quia per illam prior cogitatio fit involuntaria, ideoque si ad eam redeatur, fit voluntaria, & moraliter multiplicatur. Ita *Vasq. Sc.* Quæ sententia etsi in peccatis externis tenenda sit, in internis tamen non habet locum, secundùm *Fill. num. 317.* Ratio, quia etsi per hanc interruptionem physicè actus multiplicetur, non tamen moraliter, quia hoc ipso, quòd animus

animus

animus involuntariè distrahitur, remanet in-  
 terpretativè prior voluntas, cum non sit re-  
 tractata, aut aliter interrupta. *Vid. etiam Bal-*  
*dell. d. 21. n. 3. Ex dictis resolves,*

I. Unum numero peccatum committit, qui  
 uno actu odii vel detractionis fertur in 10. ho-  
 mines; qui uno ictu duos occidit; qui uno actu  
 vult omittere officium Horarum per mensem,  
 jejunium per Quadragesimam, quia etsi hæc  
 objecta physicè sint plura, sunt tamen unum  
 moraliter & formaliter, quatenus in uno actu  
 hic & nunc conjunguntur, Ita *Navar. Fill. Bon.*  
*d. 2. q. 4. p. 1. contra Azor, Vasq. &c.* qui satis  
 probabiliter dicunt esse peccata distincta: Ve-  
 rum sive 10. peccata dicas, odisse v. g. 10. ho-  
 mines, sive unum, parum refert, cum unum  
 hoc illis decem æquivalet. proindeque obje-  
 ctæ gravitas in Confessione exprimenda sit, quippe  
 quæ actum in suo esse individuali constituit, ut  
 notat *Fill. Bonac. Suar. de Pœn. d. 22. f. 5.*

II. Actus voluntatis internus sæpius interrump-  
 tus & repetitus, licet physicè sit multiplex,  
 moraliter tamen est unum numero peccatum  
 in ordine ad Confessionem, si consummetur in  
 opere aliquo externo per eum intento & causa-  
 to, aut etiam in pluribus actibus externis sibi  
 invicem subordinatis ad eundem finem: hinc  
 v. g. qui furatur bibliothecam per totam no-  
 ctem, etsi sæpius voluntatem furandi renovet,  
 unum furtum; & qui ad occidendum alium  
 pergens, sæpe voluntatem renovat, unum ho-  
 micidium committit. Ratio, quia est una actio  
 externa, ab internis intenta & causata, in qua in-  
 ternæ semper complentur, & moraliter unum-  
 cur. *Vide Baldell. n. 4.*

III. Actiones externæ, licet numero distinctæ, ad eundem tamen finem & actum principalem relatz, modò non habeant distinctam ab illo malitiam, non distinguuntur ab ipso fine & a ctu principali, moraliter loquendo, & in ordine ad Confessionem: hinc oscula, tactus, verba impudica &c. copulam carnalem præcedentia, imò etiam comitantia & subsequantia tanquam complementa & appendices operis, unum numero peccatum sunt, ut docent Nav. cap. 6. n. 17. Azor l. 4. c. 4 q. 6. Fill &c. Ratio, quia sunt vel initia, vel partes, vel complementa & appendices operis, ejusdem actus humani & objecti, in quo omnia prædicta moraliter ununtur.

Dixi, complementa: quia si similes actus non sunt initia vel partes copulæ subsequenter, aut ex actu præterito ex natura rei non consequuntur, distinguuntur numero; ut v. g. si quis de fornicatione gloriatur: proindeque illi in Confessione explicandi sunt separatim, non autem prioris, ut docet Suar. s. 1.

## A D D E N D A.

Q. 27. Quandonam actus physicè unus sit unum vel multiplex numero peccatum. R. Sicuti potest actus physicè unus habere plures specie malitias, uti constat ex dictis n. 127. & 135., ita, & multò magis, potest actus physicè unus habere plures numero malitias, quandoque tamen etiam habet unicam, uti jam declarabitur.

§. 1. Actus physicè unus non ideo præcisè est multiplex numero peccatum, quòd sit contra plura numero præcepta, uti habet communis cum



cum Oviedo contro. 5. p. 7. & Dicast. De Pcen. d.  
 9. n. 235. contra Nav. Lop. Rodriq. & Arr Ratio  
 est, quia praecepta possunt esse tantum materia-  
 liter plura, tunc autem non refunditur nisi una  
 malitia, nam 1. Diversa species peccati non de-  
 sumitur à praeceptis tantum materialiter diver-  
 sis, uti constat ex dictis n. 133., ergo nec distin-  
 ctus numerus, eadem enim est utrobique ratio,  
 quia nempe talia praecepta sunt moraliter uni-  
 cum. 2. Plures praeipientes aliquid possunt in-  
 tendere ac imponere unam eandemque obliga-  
 tionem ad illud, in hoc autem casu erunt plura  
 materialiter praecepta, nec tamen erit nisi unica  
 obligatio, adeoque si non fiat id, quod praecepi-  
 tur, erit tantum una moraliter transgressio, et-  
 go. 3. Ex hoc, quod furtum sit contra lege natu-  
 rae, Item contra legem positivam Dei & ho-  
 minum, intelligitur tantum esse prohibitum  
 pluribus modis, & nemo ideo apprehendit in  
 illo esse plures numero malitias, ergo nec erunt  
 duae, ex hoc, quod actus physicè unus sit contra  
 praeceptum patris & matris, aut contra praece-  
 ptum patris heri & iterum hodie positum, non  
 magis, quam si quis frangat votum à se pluries  
 renovatum, quod est unicum peccatum, uti cum  
 communi Dicast. n. 305.; atque idem est, si quis  
 in vigilia S. Matthiae incidente in quatuor tem-  
 pora quadragesimae frangat jejunium, secundum  
 dicta n. 133., est enim unicum numero pecca-  
 tum. Dixi, non ideo praecise, nam si sciretur,  
 quod per unum ex illis praeceptis intenderetur  
 alia numero obligatio, v. g. quia esset aliud mo-  
 tivum numero distinctum praeicipiendi aut pro-  
 hibendi actum, tunc refunderetur duplex nume-  
 ro

ro malitia in transgressionem, quia tunc essent  
præcepta formaliter distincta numero; & id pos-  
set contingere, si postquam unus Superior ali-  
quid præcepit subdito, alius Superior addat no-  
vum præceptum, tunc enim præsumetur velle  
superaddere novam obligationem ex alio simili  
motivo: de cætero si præcipientes id non mani-  
festent, nec aliunde innotescat, præsumuntur  
unam numero obligationem velle.

*Obji.* 1. Talis actus habet plures relationes 148.  
disconvenientiæ, unam ad præceptum patris, &  
alteram ad præceptum matris, ergo habet plu-  
res difformitates, ergo plures malitias. 2. Ratio  
dicat, pejus esse, si quis sit inobediens patri &  
matri, aut si det utrique causam justæ offensæ,  
quàm si tantùm alterutri, sed quando agit con-  
tra præceptum patris & matris, est utrique in-  
obediens, & utrique dat causam justæ offensæ, er-  
go. 3. Est duplex numero injuria vel irreveren-  
tia, si fiat patri & matri, ergo etiam est duplex  
numero inobediencia, si agam contra præce-  
ptum patris & matris; & maximè si contra præ-  
ceptum unum Dei alterum hominis. 4. Si fur-  
tum non haberet malitiam ex hoc, quòd sit con-  
tra præceptum naturæ vel humanum, hoc ipso  
acquireret malitiam, quòd esset contra præce-  
ptum Dei, qui potest aliqua de se non mala fa-  
cere mala per prohibitionem, ergo quando ad  
præceptum unum accedit aliud præceptum, in-  
de oritur nova malitia. 5. Quòd quis plurium  
præceptum transgreditur, eò plures virtualiter  
contemnit, ergo eò plures contrahit malitias.  
ita *Arr. R. ad 1.* Sunt duæ quasi physicè disconve-  
nientiæ, ratione duplicis connotati, est tamen  
una

una moraliter, quia præceptum patris & matris est unum moraliter, ergo etiam est una moraliter disconvenientia & disformitas. *Ad 2.* Putat quidem *Gonet* d. 3. n. 37. esse ibi duas inobedientias, sed rationem non video: hinc dist. min. quando agit contra præceptum patris & matris est utrique inobediens, inobedientiâ numero unâ, fortè paulò pejore, qualis etiam esset, si præceptum ab eodem patre fuisset sæpius inculcatum, c., inobedientiâ numero duplici, n., quia nempe sunt veluti unus præcipiens, cum utramque tantum velint obligationem, qualem etiam vellent, si tantum singuli præciperent. *Ad 3.* Disparitatem dant aliqui, quia iustitia, gratitudo, religio &c. sunt ita ad alterum, ut censentur ordinari ad bonum alterius, obedientia autem est ad alterum, ultimò propter bonum subditi, ergo diversitas præceptorum non tam à præcipientibus quàm à bonis subdito intentis desumenda est. Hanc responsionem multis oppugnat *Dicast.* à n. 483., maximè ex eo, quod omnis virtus sit ad bonum subditi: unde respondet ipse n. 486. negando consequens, disparitas est, quia proxima ratio obediendi non est superioritas hæc vel illa, sed præceptum, unde hoc, cui inobediencia proximè opponitur, non est superioritas, sed præceptum, potest autem idem præceptum & eadem numero obligatio causari à superioritatibus numero & specie distinctis, ergo etiam potest eadem numero inobediencia esse contra Superiores numero & specie distinctos: è contrà reverentia, cultus, itemque irreverentia, injuria &c. proximè respiciunt excellentiam, dignitatem vel jus personæ, si autem personæ

fiat  
& ju  
irrev  
tra  
præc  
hæc  
refur  
dem  
furtu  
theo  
turæ  
quia  
natu  
min  
cisè  
cùm  
ceptu  
tur.  
lis in  
nas p  
sola p  
esset  
imm  
præc  
quia  
tiâ d  
imm  
§.  
physi  
fit m  
sione  
fusè  
strop.  
Spor.  
To

sint plures, erunt plures excellentiæ, dignitates & jura, ergo si personæ sint plures, erunt plures irreverentiæ vel injuriæ. Ad 4. Furtum nullam trahit malitiam theologicam per oppositionem præcisè cum præcepto naturæ vel humano, sed hæc præcepta ut informata lege Dei, sic tantum refundunt malitiam theologicam, quam eadem refunderet solum præceptum Dei, unde furtum à præcepto Dei habet eandem malitiam theologicam, quam nunc habet ex præcepto naturæ vel humano ut informato lege æternâ Dei, quia Deus nunc aliter non prohibet, quam sicuti natura exigit prohiberi, aut sicuti prohibent homines, malitia autem, quam furtum habet præcisè, prout opponitur legi naturæ vel humanæ, cum non sit theologica, etiam non cadit sub præceptum Confessionis, de quo hic tantum quaritur. Ad 5. n. conseq., quia contemptus virtualis indirectè tantum & mediatè tendit in personas præcipientes, directè autem & immediatè in sola præcepta, quæ hic sunt moraliter unum: si esset contemptus formalis, tenderet directè & immediatè in personas ipsas, hinc à diversitate præcipientium traheret multiplicem malitiam, quia singulæ personæ sunt propriâ suâ observantiâ dignæ, contra quarum dignitatem directè & immediatè ageretur.

§. 2. Probabilius videtur, quodd actus malus 149.  
physicè unus tendens in plura numero objecta, sit moraliter plura numero peccata in Confessione explicanda, prout actus distinctè vel confusè in ea objecta tendebat, ita Vasq. Tann. Casp. Rhod. Opiedo, Haun Diana p. 3. t. 4 R. 164. Spor. de Pœn. à n. 409., contra Suar. Bonac. & alios

alios apud *Mendo* d. 2. à n. 3. *Prob.* 1. Actus terminatus ad plura species objecta includit plura species peccata in Confessione explicanda, ergo terminatus ad plura numero objecta includit plura numero peccata. 2. Actus unus, quo qui detrahit de honore trium hominum, in iudicio prudentum, etiam in ratione objecti & numeri æquivaleret tribus actibus, per quos detraheret singulis, sed si essent tales tres actus, essent tria numero peccata, ergo. *Conf.* nam actus, quo qui detrahit tribus, comparatus ad *Cajum*, cui detrahit, est peccatum, ergo etiam comparatus ad *Titium* & *Sempronium* est peccatum, non autem idem peccatum, quia est aliud objectum & violatur jus distinctum, ergo est peccatum numero distinctum, ergo cum violet tria distincta jura, erunt tria numero peccata.

750. *Obji.* 1. Quamvis actui, quo detraho tribus infirmitates numero malitiarum, tamen non sunt tria peccata, sed unum, habens tres malitias, ergo cum nullum detur præceptum confitendi numerum malitiarum, sed tantum speciem & numerum peccatorum, non sunt tria peccata ordine ad Confessionem. *Prob. antec.* Est unum numero peccatum, si uno actu eidem fureris ducatos; aut pannos, frumenta & pecunias, ergo etiam est unum numero peccatum, si uno actu detraham tribus, ita *Fill. Lugo*, *Tamb.* *meth. Conf.* l. 2. c. 1. à n. 59. *Gob. in Quin.* c. 9. n. 73. *Stoz* l. 1. p. 3. à n. 571. & alii apud *D.* nam p. 1. t. 7. R. 17., qui ideo dicunt talem satisfacere, si efferat in plurali, v. g. sic, semel detrahi graviter de fama plurium. *R.* 1. Si argumentum valet, ergo nequidem est opus dicere

decraxi de fama plurium, sed satis erit dicere, detraxi, nam fuisse de uno vel de pluribus secundum hos AA. non mutat speciem vel numerum peccari. *Re. 2.* An dicere debeas talem actum esse tria numero peccata, an, esse unicum peccatum habens tres malitias, est quaestio de nomine, potius dicendum est esse tria numero peccata, quia peccatum nihil est nisi malitia, ergo ubi sunt tres numero malitiz, sunt tria numero peccata, sicuti ubi sunt tres specie malitiz, sunt tria specie peccata: Sed quidquid sit de hoc, de re dicimus, quod illiz tres numero malitiz, si sciuntur, debeant cum suo numero determinato explicari in Confessione, sicuti si essent tres specie malitiz in uno actu, hæ omnes deberent explicari, sive diceretur esse unum specie peccatum habens tres specie malitias, sive dicerentur esse tria specie peccata. Uade in forma, n. antec., ad prob., concessio antec. n. conseq., disparitas est, quia singuli ducati, item panni, frumenta & pecuniaz ad eundem spectantes, non sunt plura objecta respectu unius actus, quo eripiuntur, sed constituunt unicum numero objectum. Nec refert, quod singuli ducati essent objecta numero distincta, si eriperentur per singulos actus distinctos, nam fiunt unum objectum, quando per unum actum uni eripiuntur, non item fame, quæ tolluntur tribus hominibus. Et pro explicanda illa disparitate dant hanc regulam *Dicast. 151.* n. 221. & *Haur.* n. 488. Quando sunt plures res, quarum una est capax accipiendi augmentum ab altera, & quæ ex natura sua vel usu hominum referuntur ad eundem finem; ideoque communitè sunt invicem commutabiles & compensabiles,

biles, tunc possunt uniri in ratione unius objecti si spectent ad eundem hominem, quia tunc sunt res ejusdem rationis, quæ faciunt unam rem majorem, si simul veluti partes conveniant; & ita si habent pecuniam, panni, frumenta &c., quæ augent divitias ejusdem hominis, & referuntur ad eandem necessitatem vitæ, suntque in commercio hominum invicem permutabilia ac compensabilia, pecuniam cum pannis, panni cum frumentis &c., & una mensura omnium est pecunia, quâ ista omnia acquiri possunt; hinc si ad eundem pertineant, constituunt unicum numero objectum majus, & consequenter tantum augent malitiam numericam actûs, quo auferuntur. E contra si sint plures, quarum una non est capax accipiendi augmentum ab altera, atque à natura usque hominum non referantur ad eundem finem, nec ita sint permutabiles invicem, sed in se habeant suas rationes completas & diversas, tunc non poterunt uniri in ratione unius objecti, sed manent plura moraliter objecta, quamvis terminent unum actum, & sic si habent famam trium hominum, nam fama unius non augetur per famam alterius, nec hæ famæ ordinantur ad unam famam, nec inter se commutantur vel compensantur, cum possit unum reddi fama manente infamiam alterius, ergo non uniantur in ratione unius objecti, & consequenter si uno actu detrahatur de fama trium, non est detractio unius famæ, nec augetur malitia unius detractio, sed sunt moraliter tres detractioes triplicis famæ, ergo tria numero peccata.

152. *Inst.* Ergo si uno actu furer tres ducatos spectant

stantes ad tres diversos homines, hi tres ducati erunt unum objectum, & sic erit unum numero furtum. *R. Vasq.* concedit sequelam, sed malè, uti rectè probat *Dicast. n. 244.*, quia nempe laudantur tria distincta jura, unde *n. seq.*, quamvis enim illi tres ducati sint apti esse unum objectum, dummodo ad unum pertineant, quia tunc est unum jus constans pluribus partibus ad se invicem relatis ratione ejusdem personæ, tamen quamdiu ad diversos spectant, unus non potest augere alterum, neque possunt facere unam opulentiam, neque jus ad unum potest augere jus spectans ad alterum, neque etiam illi ducati aut illa jura referuntur ad eundem sed ad diversum usum, nempe singulorum hominum, ergo quamdiu pertinent ad diversos homines, non possunt facere unum objectum.

*Obji. 2.* Actus unus, quo quis dat eleemosynam tribus pauperibus, non habet tres numero bonitates, ergo nec actus, quo quis vult occidere tres, habet tres malitias, ita *Suar. R. 1. cum Nav. & aliis n. ant.*, cum enim sublevet tres miseras illorum trium, sunt tria objecta, & consequenter sunt moraliter tres eleemosynæ. *R. 2.* cum *Dicast. De Pœn. n. 249.* etiam *n. conseq.*, disparitas est, quia ut actus bonus habeat bonitatem, debet intendi honestas talis virtutis, hinc bonitas actûs non multiplicatur, nisi multiplicetur honestas, quæ est objectum motivum actûs, sed ubi uno actu tribus datur eleemosyna, videtur esse honestas unica, quamvis cæteris paribus major, ergo dici potest esse unum objectum. E contra ut contrahatur malitia peccati, non est opus intendi inhonestatem, sed malitia desumi-



tur etiam per ordinem ad alia objecta vel effectus, quales sunt læsio plurium jurium, quæ quibus spectant ad diversos, non faciunt unum objectum.

154. *Inst.* Ergo qui voluisset dare eleemosynas infinitis hominibus, aut è contrà occidere infinitos homines, contraxisset bonitates vel malitias ac peccata infinita. *R.* *Disast.* n. 256. negat consequenter, quia talis actus semper est inefficax, cum tunc multa objecta habent se per modum unius objecti, cum enim non intendatur re ipsa & efficaciter damnum seu effectus, non censetur distinctæ injuriæ sed una contra numerum infinitum veluti unum objectum, habens jus unicum, ut nemo tali actu inefficace circa se verberetur. Hæc responsio non placet, unde *R.* Eo modo quo cognoscit infinitos homines, tali modo etiam contrahit infinitum numerum bonitatum aut malitiarum, quia vult, quantum est de se, efficaciter levare tot miseras, aut lædere tot juribus unde cum infinitos numero homines tantum confusè cognoscat & modo finito in infinitum ita contrahit bonitates vel malitias numero confuso infinitas, id est, actu finitas, ita tamen, si singulas enumerando sint semper acceptibiles plures in infinitum.

155. *Obji.* 3. Concretum accidentale non multiplicatur nisi multiplicato subjecto seu recto, sed rectus, quem importat tam peccatum quam malitia, est actus liber, ergo non multiplicato recto, non multiplicatur peccatum vel malitia, in *Bonæspei* d. 4. n. 99. *R.* Ut concretum accidentale multiplicetur moraliter, satis est rectum multiplicari moraliter, talis autem actus quantum

vis sit physicè unus, est moraliter multiplex, ergo rectus moraliter multiplicatur.

*Inst.* Unius actus non datur nisi unum obiectum, ergo etiam una tantum malitia obiectiva, ergo & una tantum malitia formalis, ita *Caramuel. R.* Unius actus physicè considerati non datur nisi unicum obiectum adæquatum, sed unius actus moraliter considerati dantur plura obiecta physicè inadæquata, sed in genere moris adæquata, uti patet in uno actu habente plures specie malitias ob respectum ad obiecta specie distincta.

§. 3. Quamvis regula colligendi multiplici- 156.  
tatem numericam peccatorum in uno actu ex multiplicitate obiectorum, videatur esse satis clara, tamen in particularibus materiis adhuc difficile est eam applicare, hinc AA., etiam illi, qui regulam n. 151. datam nobiscum admittunt, adhuc variant in sententiis, uti constabit ex seqq. exemplis:

1. Si quis uno actu dubitet circa tres fidei articulos, aut eos neget, vel culpabiliter ignoret, *Cresp. à Borgia in selectis q. 6. n. 18.* docet esse tria peccata, ideoque putat in Confessione dicendum, dubitavi circa tres fidei articulos, quia dubitatio est ipsum peccatum, diversi autem articuli sunt diversa obiecta, cum veritas obiectiva unius non augeat veritatem alterius. Sed contradicunt *Oviedo n. 116. & Diana p. 3. t. 4. R. 165.*, quia licet una veritas obiectiva non sit major altera, tamen una falsitas obiectiva, quam hic apprehendit peccans, est major altera, ideoque unus actus potest esse falsior altero, ergo articuli vel revelationes plures, de quibus dubitat, faci-

unx in apprehensione ipsius unicum obiectum magis falsum vel magis dubium, ergo est unum obiectum, & consequenter satisfaciet dicendo, semel dubitavi in fide. Hinc etiam si quis de tribus rebus diversis interrogatus postea circa omnes uno actu juret falsò, ob rationem jam innuatam committit unum numero peccatum, ut docent *Oviedo & Diana* p. 1. t. 7. R. 40., & fatetur *Borgia* supra, quia jurat unicum obiectum falsius.

157. 2. Si quis uno actu blasphemet in tribus diversis materiis, v. g. dicendo Deum esse injustum, infidelem, ignorantem, *Ovied. & Diana* p. 3. t. 4. R. 163. dicitur esse unum peccatum, quia videtur esse unica major irreverentia: *Borgia* dicit esse tria, quia videntur esse tria obiecta, contra quæ fit irreverentia, ex eo enim, quod Deus esset injustus, non ideo esset infidelis vel contra, nec injustitia apta est augere infidelitatem, ergo sunt plura obiecta.

158. 3. Si quis uno actu oderit tres homines, *Dicafl. n. 257.* dicit esse unum peccatum, sed alii melius dicunt esse tria, quia displicent tria diversa bona: imò cum communiter odio adjunctus fit affectus mali, & hæc tria mala nunquam possint censerì unum malum, eò quòd singula afficiant diversas personas, videntur ideo saltem esse tria peccata: & hoc ipsum videtur docere *Dicafl. n. 229.*

159. 4. Si quis uno actu optet eidem quatuor diversa mala, v. g. paupertatem, infamiam, mortem, damnationem æternam, sunt quatuor peccata, etiam specie distincta, uti rectè *Molin. Suar. Con. Sylvius & alii*, si advertat specificam diversitatem illor.

illorum malorum, & nihilominus optet, unde quando *Dicast.* n. 498. dicit oppositum esse probabile, intelligendus est, si optans non apprehendat illa ut specie distincta, sed tantum velut diversa numero: imò posset esse unum numero peccatum, si illa omnia optet, apprehensa tantum in genere mali.

5. Si quis uno actu eidem personæ vellet rapere diversa Dominia, Principatus, Regna &c., putat *Dicast.* n. 234. fore plura peccata, quia licet omnia videantur spectare ad bona fortunæ, tamen non videantur unum objectum constituere, cum sint jura, obligationes & modi valde diversi gubernandi singulas communitates, & jus, obligatio vel modus gubernandi unam non possit augere jus, obligationem vel modum gubernandi alteram, neque etiam invicem commutari.

6. Si quis uno actu uni detrahat vel calumnietur in tribus diversis materiis, *Bonac. Lugo, Diana* supra, *Dicast.* n. 88. & 592., *Bonac. Spei* d. 8. n. 98. dicunt esse unum peccatum, quia illa omnia videantur posse eidem conflare unam infamiam majorem, sed *Nav. Sylvius* q. 72. a. 9. *Borgia* n. 15. probabilius dicunt esse tria, quia læduntur jura ad tres diversas famas, nam per hoc, quod quis fit laudabilis in virtute justitiæ, non fit laudabilis in virtute castitatis, & per hoc, quod sciatur esse fur, non ideo sciatur esse impudicus, sed retinet jus ad hanc famam, ergo hæc famæ sunt diversa objecta, neque magis videntur posse conflare unicam numero famam, quam tria jejunia unum jejunium, licet faciant ad majorem maccationem ejusdem corporis.

K s

7. Si quis

162. 7. Si quis uno actu eidem in eadem materia detrahat apud tres homines, multi dicunt esse unum peccatum ob unitatem personæ, cui detrahitur, & materiæ, in qua detrahitur, sed tenendum est oppositum, quia famæ illæ, quæ apud singulos tolluntur, non possunt facere unam famam majorem, nam famæ illæ sunt bonæ existimatio, quam singuli habent de tali homine, existimatio autem, quam habet unus, non potest augere existimationem, quam habet alter, neque ex eo, quod tollatur vel minuatur existimatio apud unum, tollitur aut minuitur apud alterum, sed manet jus ad famam apud hunc, ergo hæc famæ & jura ad famas non constituunt unum obiectum.

163. 8. Si quis in mortali constitutus uno actu baptizet vel absolvat tres homines, *Tann. Diana p. 1. t. 7. R. 41. & p. 5. t. 3. R. 27. Spor. De poen. n. 435. Sto2 l. 1. p. 3 n. 585.* dicunt esse unum numero peccatum, sed *Borgia n. 22.* dicit esse tria, quia sunt tria objecta, nempe tria Sacramenta, quorum singulis fit injuria vel irreverentia. Contra tamen, si quis uno actu consecret multas hostias vel ciboria, est unum peccatum, quia omnia habent se per modum unius hostiæ istius Sacrificii.

164. 9. Si quis uno actu statuat totam septimanam omittere Horas, aut non jejunare in tota Quadragesima, sunt totidem peccata, quot dies, qui sunt totidem objecta, cum officium vel jejunium unius diei non ordinetur ad officium vel jejunium alterius.

165. 10. Si quis una deliberatione omittat omnes vel plures Horas unius diei, *Tol. & alii,* quot sunt

fert ac sequitur *Busenb. relatus l. 4. n. 1101.*, dicunt esse tot peccata, quot Horæ sunt omiffæ, sed *Nav. Lugo & alii* probabiliter dicunt esse unicum, majus vel minus, prout plûs vel minûs omittitur, quia omnes Horæ referuntur ad unum officium constituendum, faciuntque unum objectum.

11. Si quis intendat per tria Festa non audire Missam, sunt tria peccata, quia sunt tria objecta, *Borgia n. 21.* Si autem Festo incidente in Dominicam non audiat Missam, *Nav. Con. & alii* dicunt esse duo peccata, sed probabilius est cum *Suar. Vasq. Sanch. Compt. d. 103. f. 4. n. 11.* esse unicum, quia est moraliter unum præceptum, conformiter ad dicta n. 137. de jejunio, adeoque est unum objectum. 166.

Q. 23. Quandoam actus physicè plures sint unum vel multiplex numero peccatum. *R. Quæ Busenb. relatus n. 146. de hoc* habet, sunt magis elucidanda. Itaque in genere dicendum est, tum actus physicè plures, esse unum numero peccatum, quando ita uniuntur, ut æstimatione prudentum censeantur una actio in genere moris; tum autem esse plura, quando non ita uniuntur: sed manet difficultas, quandoam censeri debeant ite uniri, nam sæpe sunt actus planè diversi rationis, qui tamen concurrunt ad unum peccatum; sæpe ex uno actu fiunt plures, quia fit interruptio; sæpe idem actus ex eodem impetu repetitur, neque satis sciri potest, an actus illi physicè plures, censeri debeant esse moraliter plures, an unus. Circa actus plures, qui concurrunt ad unum peccatum, serviunt seqq. Regulæ:

1. Si multi actus spectent ad eandem con- 168.  
sum-

summationem peccati, & intendantur ex eodem fine principali, quamvis sint valde diversi, sunt unum numero peccatum: v. g. Titius optat scilicet mortem Caji, emit arma, aptat sclopetum, quærit Cajam, etiam per aliquot dies, inquit *Dicafl. De Poenit. d. 9. n. 73.*, tandem inventum trajicit globo & postmodum confodit gladio; hæc sunt plures physicè actiones, & diversæ rationis, sed quia sunt sibi subordinatæ in ordine ad consummandum homicidium, & ex eadem immutata voluntate tendunt in eum finem, sunt unum numero peccatum, ideoque satisfacit in Confessione Titius dicendo, occidi hominem. Similiter si Sampronius sermones turpes, oscula, tactus habuerit cum eadem muliere in ordine ad copulam ex eis secutam, sunt unum peccatum eum copula, & satisfacit dicendo, semel habui illicitam copulam, nec opus addere de tactibus, osculis aut sermonibus, multò minùs de eorum numero, cum enim illa communiter soleant comitari & ex se ordinentur ad copulam, hæc intellectà satis intelliguntur, *Dicafl. n. 101.* Quòd si sequantur statim post copulam sine intentione novæ copulæ, *Nav. Lorca* & alii cum *Castrop. t. 1. d. 3. p. 1. n. 5.* putant adhuc non fore distinctum peccatum, quia erunt veluti complementum prioris copulæ, è contrà *Suar.* & alii multi dicunt fore distinctum, quia ex natura sua sunt inchoatio copulæ, ergo post copulam erunt inchoatio novæ copulæ; hanc sententiam *Averſ.* q. 72. f. 2. meritò suadet confitentibus velut certiore, *Dicafl.* autem n. 75. agnoscit utramque in & extrinsecè probabilem, sed pro claritate sic distinguit, si illa continuè intendantur velut

com-

complementum prioris voluptatis, sentit cum Nav., si intendantur ad novam copulam vel cum periculo pollutionis, tenet cum Suar., si ex neutro fine intendantur, sed in ipsis sistatur velut aliis voluptatibus, rectè dicit fore distinctum secundùm se peccatum. Quòd autem J. Sanchez. apud Castrop. dicit adhuc fore unum peccatum, quamvis longa interruptio fuisset inter copulam & ista consequentia, admitti non debet, quia non apparet, quomodo censerì possiat complementum præcedentis, nisi statim post, quasi ex eodem imperu contingant.

2. Si plures ejusmodi actus externi per intentionem operantis ordinentur ad diversos fines malos, erunt multiplex peccatum, hinc si Titius primò voluisset tantùm vulnerare, & postea ex alia ira vel malitia occideret Cajum, essent duo peccata speciatim explicanda: si Sempronius faciens oscula & tactus noluisse copulam, quamvis hæc ob auctam libidinem postea sequeretur, deberent tactus & oscula speciatim explicari, & quidem addito eorum numero, uti & tum, si facta essent, & non esset secuta copula, quamvis fuisset intenta, quia quando vel animo vel re ipsa in illis sistitur, habeat suam in se malitiam diversam à malitia peccati ulterius consummati, uti habet communis & certa cum *Dicast. n. 76. & Less. in auct. v. Confessio, cas. 10.* Idem est, si mala voluntas fuerit retractata, & post eam reassumptam sequatur homicidium vel copula, tum enim sunt plura peccata, quia sistebatur in illa prima voluntate, nec ista prævia ampliùs referebantur ad consummationem peccati, cum quo facerent unum, hinc licet postea

stes



Rea sequatur consummatio, dicere debet, totum  
 volui occidere aliquem; occidi aliquem: totum  
 habui turpes tactus; habui copulam &c. *Casrop*  
 p. 2. n. 2.

170. 3. Quamvis peccans ordinet plures actus ex-  
 ternos ad unum finem, si tamen illi actus de se  
 non spectent ad consummationem unius pecca-  
 ti vel operis, sed in se fiat completi, non idcirco  
 erit unum numero peccatum sed multiplex.  
 hinc pollutio semper debet speciatim explicari,  
 quamvis facta sit ex intentione copulæ, quia  
 se non ordinatur ad copulam, sed est contra fi-  
 nem copulæ, cujus finis est generatio. Similiter  
 qui ex una intentione habendi centum ducatos  
 centenis vicibus moraliter interruptis furatur  
 etiam eidem homini ducatum, facit centum nu-  
 mero peccata, quia singuli actus ex se non ordi-  
 nantur ad invicem, idcircoque singuli separati, sunt  
 plena consummatio externa voluntatis interne  
 mortaliter peccaminosæ, unde non satisfacit  
 dicendo, furatus sum centum ducatos, sed ad-  
 dere debet, per centum vices. Similiter Sacer-  
 dos, qui die Natalis Christi ter legens Missam  
 ter communicat in mortali, ter peccat, quamvis  
 Missas ordinaret ad quemcumque unum finem,  
 uti rectè *Stoz* l. 1. p. 3. n. 584., quia singulæ Mis-  
 sæ & Communiones sunt actus de se completi  
 in ratione Sacrificii & convivii spiritualis; ubi  
 contra si sumptâ hostiâ & distributâ per duas ho-  
 ras communiõne sumeret reliquas particulares,  
 esset unum peccatum, quia sumptio hostiæ &  
 particularum pertinet ad consummationem unius  
 Sacrificii, non obstante tantâ interruptione  
 physicâ.

4. An ille, qui continuo tempore in mortali  
 absolvit centum poenitentes, centies peccet, non  
 ita est certum; negant aliqui cum *Rodrig.* apud  
*Escob.* l. 8. n. 230., & *Lugo*, *Diana*, *Gob.* *Stoz*, *Spo-*  
*rer* n. 435. dicunt esse saltem probabile, quod  
 tantum semel peccet, quia videtur esse unum  
 ministerium, hinc putant satis esse, si dicat, se-  
 mel absolvi plures in mortali; sed dicendum est  
 cum *Bonac.* *Possiv.* *Escob.* *Ovied.* n. 115. *Dicast.* à v.  
 85. *Borgia* q. 6. n. 23. *Platel.* De Sacram. n. 74. to-  
 ties peccare, quoties absolvit, tum quia admini-  
 stratio Sacramenti toties est completa, neque  
 una spectat ad alteram, tum etiam quia singulis  
 Sacramentis fit gravis injuria: Et ob eandem  
 rationem videtur probabilius cum *Vasq.* *Con.* De  
 Sacram. q. 64. n. 35. *Castrop.* p. 3. n. 8. *Oviedo* n.  
 14. *Dicast.* De Sacram. d. 3. n. 234., quod ille qui  
 continuo tempore in mortali 100 hominibus  
 dat Communionem, supposito quod Commu-  
 nionem distribuere in mortali sit mortale, cen-  
 ties peccet mortaliter, quia singulæ Communio-  
 nes sūt convivium spirituale completum respe-  
 ctu singulorum, neque una harum actionum or-  
 dinatur ad alteram, sed est completa ministratio  
 Sacramenti: oppositam tamen sententiam, nem-  
 pe esse unum numero peccatum, docent etiam  
 multi, inter quos *Henriq.* *Fill.* *Diana*, *Merchant.*  
*Platel* n. 73. *Busenb.* l. 6. p. 1. n. 86. referendus: &  
 probabile esse agnoscit *Bosca* De Sacram. d. 1. f. 7.  
 n. 175. Hoc verum est, fore unum peccatum, si  
 Sacerdos eidem communicanti daret plures ho-  
 stias, uti rectè *Dicast.* supra, quia est unica Com-  
 munionio.

171.

172.

173. Q. 29. Quid addendum sit circa multiplicationem numericam peccati propter interruptionem & repetitionem actuum. R. Interruptio actus interni potest contingere, vel formaliter retractando voluntatem & postea eandem resumendo, vel non retractando quidem formaliter, attamen convertendo eam ad aliquid aliud; quod fieri potest, vel deliberatè, uti si quis priùs volens furari, de hoc cogitans vadat aliud, ubi non est occasio furandi; vel indeliberatè & sine advertentia desistendo à priori voluntate, v. g. per oblivionem, ebrietatem, somnum; & hæc interruptiones quandoque multiplicant peccata, quandoque non, uti declarabitur sequentibus Regulis.

174. 1. Si voluntas fuerit retractata formaliter, & iterum resumatur, probabilius est semper esse simul plura peccata, uti tenent Nav. Stear. Bonac. Hurtad. Rhod. Castrop. tr. 2. d. 3. p. 2. n. 2. Dicass. de Poen. d. 9. n. 104., hinc Arr. & Tann. dicunt hanc sententiam esse communem, Avesa q. 71. s. 3. dicit esse prorsus certam, quamvis contradicant Gran. Haunold. Gob. Stoz. & aliqui Recentiores: Ratio nostra est, quia positâ retractatione prior actus fuit completus & terminatus, ita ut non maneat nec formaliter nec virtualiter nec habitualiter, ideoque ad novum actum requiritur planè alia libertas, deliberatio & determinatio, ergo si resumatur voluntas, non possunt censerì unus moraliter actus. Duo opponit Lugo, imprimis, quia unum peccatum est, si quis die jejunii surgens à secunda refectione, cum voluntate non amplius comedendi, statim potest redeat & iterum comedat. Deinde, quia illa multiplicatio per solam retractationem voluntatis

zatis non videtur esse moraliter discernibilis. Sed hæ rationes non urgent, nam secunda reflectio ideo est unum peccatum, quia Ecclesia tale prandium computat per modum unius comestionis, uti rectè *Herincod.* 5. n. 56. ; certum est autem talem interruptionem communiter esse sufficienter & per se discernibilem, ex hoc, quod deliberatè immutetur voluntas, & quisque facilè advertat, se jam positivè nolle & postea iterum positivè velle, quid enim potest esse magis discernibile, quàm talis immutatio, cum adeo diverso tendendi modo, qui semper cadit sub actualem cognitionem & sub experimentale exercitium potentiz? Quod si defectu reflexionis aliquando non advertatur talis interruptio, aut per oblivionem excidat numerus, per accidens est, nam hoc ipsum etiam sæpè fit in discernenda specie, item in variis casibus circa numerum, uti si quis scandalizàrit aliquam multitudinem: unde sicut tum sufficit dicere, an fuerit magna vel parva multitudo, ita hìc sufficeret dicere, circiter, aut diuturnitatem temporis, quo continuati sunt illi actus.

2. Si voluntas non fuerit efficaciter retractata, 175.  
manet unum numero peccatum, v. g. Cajus legit turpem librum; Titius dissuadet; audiens Cajus hæret suspensus, quid agat, sed resumptà voluntate pergit legere: hìc est unum numero peccatum, & satisfacit dicendo, semel legi librum turpem, quia voluntas non fuit absolutè & efficaciter retractata. E contra si seridè voluisset abstinere, & statim post iterum legisset, deberet dicere, bis legi, secundùm dicta n. 174.

3. Si voluntas non fuerit retractata formali. 176.

liter, sed interruptio facta sit per deliberatam conversionem ad aliquid impossibile cum prior intentione, est retractatio interpretativa, quae etiam multiplicat peccata, hoc ipso enim, quod advertenter velit aliquid aliud impossibile, censetur non velle, quod prius volebat, uti rectè *Sporer De Poen. n. 437*. Similiter dicit *Tann. d. 4. q. 2. d. 4. & Aversa q. 72. s. 2.*, quando quis semel peregit suum conatum, quamvis irritum, vel ab eodem conatu quamvis imperfecto desistit ex tædio vel lassitudine, sine proposito ultra pergendi, ita ut jam videatur conatus ille finitus, si postea voluntatem renovet, est aliud numero peccatum, cum enim prior cum posteriore nullam habeat connexionem aut dependentiam moralem, non possunt censeri unus moraliter actus; hinc, inquit *Lugo*, qui voluit hoc die occidere Cajum, si hoc die non occidat, censetur voluntas illa cum hoc die finita, quamvis expressè non retractet, ideòque si cras iterum velit, erit aliud numero peccatum. Idem dicit *Dicast. n. 73.*, si volens occidere, veniat ad locum, ubi putabat esse hostem, & quia audit procul abiisse ac post mensem rediturum, si decernat tunc occidere, est novum peccatum, quamvis prior voluntas non fuerit retractata. Idem dicit *n. 95.*, quandoque per lapsum temporis est talis dispositio, ut nunc non commoveretur ad desiderium occidendi, quamvis ipsi occurreret de eo cogitatio; tunc autem censetur esse talis dispositio, si intervenerit aliqua mutatio, v. g. si hostis interim fecerit ipsi aliquod beneficium, tunc enim virtualiter erit revocata prior voluntas occidendi, unde si renovetur, erit aliud

aliud numero peccatum: & idem est in aliis materiis.

4. Quando interruptio facta est per conversionem deliberatam vel indeliberatam ad aliquid aliud adhuc possibile cum executione prioris intenti, tunc tantum multiplicabuntur peccata, si singuli actus habeant aliquid, in quo consummentur, nec invicem sibi subordinentur, quod maximè contingit in peccatis internis, v g odiis, delectationibus morosis, quæ erunt tot numero, quoties voluntas interrupta illos actus repetet, uti rectè *Castrop.* p. 3. n. 17. & *Dicaſt.* n. 99. contra alios, tunc enim nihil habent, in quo uniantur. Notat tamen *Aversa* l. 3., si quis unico iræ impetu sæpius per repetita desideria interna optaret malum proximo, id censeretur unum: & idem est in aliis materiis. Addit *Dicaſt.* n. 107., si quis aliquid turpe appetens, nec cogitans abstinere ab eo affectu, casu per aliquid occurrens distrahatur, & statim redeat ad appetitionem priorem, adhuc censeretur unum actum, quamvis enim illi actus propriè sibi non subordinentur, tamen objectum mansit moraliter præsens. Quod si actus sibi subordinentur, vel sine notabili interruptione continuentur in aliquo opere exteriori, uti plures actus odii contra inimicum, cujus mors quæritur per aliquod medium externum, hi omnes sunt unum peccatum, secundum dicta n. 168., quia moraliter uniantur, partim in illa voluntate occidendi, partim in illo uno medio externo, quo intenditur mors, & tunc actus alius, quo renovatur propositum, veluti naturaliter suboritur ex priori actu facitque moraliter unum cum illo.

L. 2

5. Quam-

178. 5. Quamvis actus tales sint sibi subordinati & continentur in aliquo medio seu opere externo, tamen si inter unum & alterum intercedat nimis magna mora temporis, non manebit unus moraliter actus, uti habet communis contra Tamò. De Confes. l. 2. c. 1. n. 32., ubi cum *Disast.* n. 65. & aliis docet, quantumcunque sit magna interruptio, non multiplicari peccata, nisi firmi adfuerit retractatio prioris voluntatis, sed hoc communiter & meritò rejicitur ab aliis. Quamvis autem hæc mora esse debeat, ut censentur plura peccata, non potest unâ regulâ definiri, aliqui nimis laxè extendunt ad septimanas, menses & annos; alii nimis rigidè contrahunt ad diem & horas, verùm relinquendum est iudicio prudenti, habitâ reflexione ad intensiorem actus antecedentis, qui imperabat executionem; Item ad naturam occupationis, quæ animum aliò abstrahit, denique ad alias circumstantias, quæ dici possent priorem actum quasi abolere: optimum erit, quod suadet *Aversa* cum aliis communiter, ut poenitens explicet moram temporis & consuetudinem sæpe vel non sæpe repetendi tales actus per diem aut septimanam.

179. 6. Qui ex eodem impetu & deliberatione statim repetit actum, v. g. qui sæpius alterum percutit, convitiatur, blasphematur, pejerat, detrahit, si in eadem maneat materia, secundùm *Castrop.* n. 5. *Disast.* n. 77. aliosque multos & graves AA. committit unum numero peccatum, qui censetur idem actus repeti: idem est, si quis continuè pluries osculetur eandem puellam, uti habet *Aversa*: item si quis, postquam dixit contumelias & ob aliquid occurrens intermiscuit ali-

qua alia verba, si in eodem congressu reperat easdem contumelias, uti habet *Dicast.* n. 107. Item si quis ex uno gulæ impetu die verito per tempus unius prandii pluries carnes etiam diversas comedat, uti notant *Lugo, Gob. Stoz* l. 1. p. 3. n. 574. Similiter quando quis statuit furari plures pannos ex una officina, quos omnes quasi unâ vice apprehendit, hoc ipso quòd invadat officinam, & possit tollere, quos volet, quamvis totâ nocte efferat per repetitos actus, quia nempe unâ vice tollere non potest, est unum peccatum, quia est una apprehensio, cui subordinantur & deserviunt plures actiones intra breve tempus repetitz. E contra si quis ex eodem impetu per repetitas actiones infirat diversa vulnera, dicat diversa convitia aut blasphemias, aut in diversis materiis pejeret aut detrahat, communis sententia est, inquit *Castrop.* n. 6., esse plura peccata, probabile tamen putat ipse cum *Bonac.* esse unicum; quid autem probabilius dicatur, colligi potest ex sententis relatis à n. 156. Dicendum verò est absolutè contra aliquos apud *Mendo* diff. 2. n. 2. fore duo peccata, si quis ex eodem impetu & deliberatione haberet duas cum eadem copulas sibi succedentes, quia talia, si semel sint facta, ob specialem suam conditionem non censentur unquam eadem repeti, nec simul facere unum.

Q. 30. Quando unum peccatum omissionis numero 180. multiplicetur. R. Decebunt exempla, unum de omissione Missæ, alterum de omissione restitutionis, quæ facile applicabuntur ad alias materias.

§. 1. Qui pridie Festi decrevit non audire Mis-

L 3

sam



lam in Festo, toties peccat, quoties cum morali  
 interruptione repetit hoc propositum ante Fe-  
 stum, quia ante hunc diem nihil est, in quo voli-  
 tiones illæ possent continuari aut dici moraliter  
 unum, necdum enim est omissio Missæ, quæ tunc  
 necdum præcepta est, & tantum ponitur causa  
 remota illius omissionis, uti habet S. Th. 2. 2. q.  
 79. a. 3. ad 3. Si autem ipso die festo primò ma-  
 nè decernat non audire Missam, quam per totum  
 manè audire posset, & sæpe ad meridiem usque  
 repetat hanc volitionem, *Oriedo* *Controv.* 5. a. n.  
 110. dicit fore unum peccatum, qualiscumque  
 fuerit interruptio volitionum, dummodo inte-  
 rim non retractarit voluntatem, quia à primo  
 manè incepit exterius peccare per omissionem  
 Missæ tunc debitæ, uti habet S. Thom. *suprà*, &  
 hæc una omissio quasi cõtinuè producitur usque  
 ad ultimum tempus, non enim ideo præcisè pec-  
 cat, quia eam non audit ultimo tempore, sed  
 quia eam toto manè non audit. E contra *Vasq. de*  
*Castrop* t. 2. d. 3. p. 3. n. 17. probabilius putat  
 tunc tantum fore unum peccatum, si omissio  
 fuerit decreta ex intentione unius operis incom-  
 possibilis cum Missa, & toto manè continuati,  
 quale posset esse studium, tunc enim omnes vo-  
 litiones, quæ renovantur, sufficienter uniantur  
 in uno illo opere, tanquam medio, per quod ex-  
 cluditur Missa: si autem non fuerit intentum vel  
 continuatum tale unum opus, toties peccatur  
 quoties cum interruptione morali renovantur  
 illæ volitiones, quæ hæc non sunt unum, neque  
 inter se, uti patet, neque in omissione Missæ  
 quæ toties definit esse voluntaria, quoties inter-  
 sedit interruptio prioris voluntatis omittendæ

& de hac est loquendum, uti supra locuti sumus de multiplicatione numerica peccati commissionis, unde inquit *Compt. d. 102. f. 8. n. 4.*, si prius volens omittere indormiisset, & experretus iterum vellet omittere, essent duo peccata.

§. 2. Qui rem ablatam pergit injustè retinere, 181.  
multiplicat numerum peccati, imprimis si prius voluit restituere, & postea iterum non velit, aut datâ opportunitate non restituat. Deinde quoties renovat voluntatem non restituendi, cum tali deliberatione animi, ut quamvis antehac noluisset non restituere, jam nollet, uti notant *Oviedo n. 112. & Dianap. 2. t. 16. R. 25.* Addit *Castrop. n. 2.* si prius non potens restituere, & postea rerum potens non restituat, quia per impotentiam discontinuata fuit prior voluntas, cum retentio tunc non esset peccaminosa, ut antea; quod etiam affirmat, si non amplius cogitavit de retentione, & diu post recordans pergat retinere, intermedio enim tempore retentio non erat actualiter voluntaria, neque prior voluntas continuabatur in aliquo effectu, qui esset causa illius retentionis, ergo cum de novo fiat voluntaria, de novo fit peccatum. Putant etiam *Suar. Mol. Disc. De Justit. l. 2. t. 2. d. 1. n. 67.* peccatum non restitutionis multiplicari numero per interruptionem somni, aut etiam omnimodæ distractionis, quia tunc nihil manet exterius, in quo continuetur, cum omissio nihil sit, verùm contradicunt alii cum *Lugo De Poen. d. 16. n. 548.* docentes posse esse, per se loquendo, unicum peccatum, quamvis per plures annos non restituat: si tamen sit obligatio confitendi circumstantias notabiliter aggravantes, poterit ratio

longæ durationis esse obligatio addendi tempus injustæ retentionis. Et idem dicendum est in aliis materiis, quandoque negligitur impletio alicujus, ad quod est obligatio, sive ex præcepto, uti ad Confessionem vel Communionem annuam, sive ex voto.

182. Pro praxi circa Confessionem peccatorum quoad numerum, plura addeatur l. 6. p. 2. à n. 922. & 936. nam ex hæcenus dictis de distinctione specifica & numerica, satis apparet in his plus esse tribuendum iudicio naturali, item usui fidelium ac sensui communi prudentum, quam scrupulosæ considerationi scholasticorum, ut etiam advertit *Haunold. n. 419.*

## C A P U T II.

*De peccatis in specie, mortali & veniali.*

### D U B I U M I.

*Quid sit peccatum mortale & veniale.*

183. **R**esp. I. Mortale est, quod ob sui gravitatem, gratiam & amicitiam cum Deo solvit, peccatum namque æternam meretur. Dicitur, *mortale*, quia spiritualis vitæ principium, gratiam scilicet habitualem tollit, & mortem animæ affert. Veniale est, quod ob suam levitatem gratiam & amicitiam non tollit, etsi fervorem charitatis minuat, & temporalem pœnam mereatur. Dicitur *veniale*; quia salvo vitæ spiritualis principio, scilicet gratiâ, languorem animæ facile curabilem infert, veniamque facile consequitur.

Resp.

Resp. II. Mortale peccatum duplex est, aliud est mortale ex genere suo; aliud ex accidente. Mortale ex genere suo est, quod per se lædit charitatem Dei vel proximi, quoad personam, res aut jura, vel nos ipsos corrumpit graviter. Ita Azor l. 4. cap. 9. Sanch. 1. mor. cap. 3. Unde resolves,

I. Peccata contra bonum proprium commissa ut plurimum sunt venialia ex genere, ut v. g. inutilis & vana concupiscentia, vana oblectatio, prodigalitas, curiositas, superfluitas cultus & vestitus, nugæ, otium; excessus in cibo, potu, somno, risu, usu conjugii, timore, tristitia, appetitu pecuniæ, laudis, &c.

II. Peccata contra virtutes Theologicas, sunt mortalia ex genere suo, quia nocent bono aliqui interno Dei, v. g. veracitati, misericordiæ, charitati. Item ferè omnia, quæ fiunt contra Decalogum, quia quæ committuntur contraria prima præcepta, nocent similiter Deitati, scientiæ, omnipotentia divini, ejusque honori externo vel interno; quæ verò contra reliqua præcepta fiunt, nocent personæ, bono, aut juri proximi.

III. Peccata illa septem, quæ dicuntur Capitalia, non omnia sunt mortalia ex genere suo, quia non omnia graviter Deum aut proximum lædunt, vel nos ipsos corrumpunt.

Resp. III. Mortale ex accidente, dicitur, cum actus aliquis venialis aut indifferens, fit per accidens mortalis, de quo infra.

## A D D E N D A.

184. Q. 31. An dentur peccata aliqua de se mortalia, alia de se venialia. R. Non omnia peccata esse equalia, constat ex dictis n. 114. Circa questionem autem hęc propositam, refert varios errores Bellarm. De amiss. gratiæ l. 1. c. 4. nam 1. *Jovinianus & Pelagius* dixerunt absolutè omnia peccata in omnibus hominibus esse mortalia. 2. *Vicleff & Calvinus* dixerunt omnia quidem esse in se mortalia, sed solis reprobatis reputari tanquam mortalia, prædestinatis autem tanquam venialia. 3. *Lutherus, Melancthon, Kemnitius* alique dixerunt fidelibus solam infidelitatem imputari ad mortale, in infidelibus autem omnia esse de se mortalia, quamvis aliqua ex Dei misericordia imputentur ad pœnam tantùm temporalem. 4. Quidam Lutherani concedunt etiam in fidelibus plura mortalia præter infidelitatem, sed dicunt omnia in his imputari tantùm ut venialia. 5. Ex Catholicis DD. aliqui, scilicet in speciem, favent his erroribus, nam *Bajus, Gerson, Almatius & Rossensis* etiam dixerunt mortale & veniale non differre ex natura rei, sed omnia esse mortalia, quædam verò ex Dei misericordia & bonitate esse venialia; *Tannerus* tamen d. 4 q. 5. dub. 1. rectè ostendit eos, quoad rem, diffensisse ab hæreticis, & *Arr.* d. 48. s. 2. dicit Catholicos illos tantùm voluisse, quòd aliqua sint venialia ex Dei ordinatione, quia aliqua antecesserit prohibuit tanquam venialia tantùm, quæ prohibere potuisset tanquam mortalia: hinc *J. Poncius* d. 22. n. 63. defendit sententiam horum DD., dicens in terminis, *Nulla peccata venialia*

lia sunt ita talia ex natura sua, quin possint prohiberi sub poena peccati mortalis & reddi mortalia, unde quòd sic non prohibeantur, oritur ex bonitate & misericordia Dei: an autem hæc fuerit mens illorum DD., parùm refert, saltem non ideo fuerunt hæretici, quia errorem suum non defenderunt cum pertinacia. Pro confutandis erroribus reliquis, tenenda sunt sequentia:

§. 1. Dantur peccata, alia mortalia, alia venialia, nam Matt. 5. dicitur, Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio, qui dixerit raca, reus erit concilio; qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis, quæ SS. PP. apud Bellarm. c. 9. applicant veniali & mortali. Item Matt. 23. dicitur de Pharisæis, Excitant culicem, camelum autem glutientes, id est, in levibus scrupulosi, & graviora non curantes: Lucæ 6. reprehenditur videns festucam in oculo alieno & non curans trabem in suo. Item de mortalibus dicitur ad Rom. 6. Stipendium peccati mors. Ad Gal. 5. Manifesta sunt opera carnis &c. Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. De venialibus dicitur Proverb. 24., Septies enim cadet iustus & resurget, quæ verba licet S. Aug. De civit. l. 11. c. 31. explicet de tribulationibus, tamen S. Hier. in comment. & alii communiter intelligunt de venialibus. Eadem venialia comparat Apost. 1. ad Corinth 3. cum fœno & stipulis: Jacobi 3. dicitur, In multis offendimus omnes: 1. Joan. 2. Si diximus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est; circa quæ verba S. Aug. De civ. l. 14. c. 19. ait, Non est qualiumcumque hominum hæc vox, sed vel maxime piorum & multorum justorum & Sanctorum. Id ipsum docet Trid. sess. 14. c. 5., ubi dicit mortalia esse necessaria

riò

riò confitenda, non item venialia: & hoc ipsum manifestè afferunt SS. PP. apud Bellarm. c. 5. & seqq.

186. §. 2. Fideles & prædestinati possunt peccare mortaliter; è contrà infideles & reprobati venialiter, vel nullo modo per actiones suas. Pars 1. patet, quia David, in quantum homicida & adulter; item Magdalena, in quantum dicitur fuisse in civitate peccatrix, peccarunt mortaliter, sed hi erant fideles & prædestinati, ergo. Pars 2. prob., quia infidelis & reprobatus potest jocose meatiri, hoc autem est veniale tantum, ergo. Pars eadem, uti & tertia definitur in Trid. sess. 6. Can. 7. *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante justificationem sunt, quacumque ratione facta sint, verè esse peccata vel odium Dei mereri &c. anathema sit.* Ratio est, quia infidelis potest dare elemosynam ex commiserationis in pauperem extremè egentem, hoc autem non est peccatum, nam Deus hortatur ad talem misericordiam, & punit, si negligatur, uti habetur Matt. 25., ergo. Idem evincitur ex propos. ab Alex. VIII. damnatis, quas n. 11. retulimus.

Obji. 1. Ad Rom. 8. dicitur, *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo*, ergo apud fideles & prædestinatos nihil est mortale. 2. Ibid. c. 14. dicitur, *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est*, sed nullum opus infidelis est ex fide, ergo omne opus infidelis est peccatum. R. Ad 1. Apostolus tantum vult, quod in illis, qui sunt iustificati per Christum, nihil sit damnabile, id est, in illis nihil sit dignum damnatione, cum per gratiam sint amici Dei, quamdiu manent in Christo seu in gratia per Christum illis data. Ad

2. Non

2. Non esse ex fide, significat, esse contra dictamen conscientiae, uti patet legenti antecedentia, falsum autem est, quod omne opus infidelis sit contra dictamen conscientiae.

§. 3. Fideles possunt aliter peccare mortaliter, 187. quam per infidelitatem, uti definit *Trid. sess. 6. c. 15. & Can. 27.* Ratio est, quia fideles possunt fornicari, adulterare, furari &c., sed hæc non sunt infidelitas, & tamen sunt mortalia, quia de illis dicitur 1. ad Cor. 6. *Regnum Dei non possidebunt, ergo.*

§. 4. Non est ab imputatione Dei, quod aliquid 188. sit peccatum mortale vel veniale, quod mereatur pœnam æternam vel temporalem. Probat, imprimis quoad opera hominis justi ex *Trid. sess. 6. c. 15. Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem, anathema sit.* Deinde probatur universaliter, 1. Quia mortale, quamdiu est, ex natura sua habet, quod exigat odium abominationis & inimicitiae Dei, cum enim mortaliter peccans perfecte & vi sui actus perpetuo se avertat à Deo, tollendo à se gratiam, per quam solam redeundum esset ad Deum, hoc ipso meretur, ut Deus perpetuo avertatur ab eo & æternum puniat: hoc non habet ex natura sua veniale, alioquin Deus non posset non odisse odio abominationis & inimicitiae, hoc autem falsum est, quia veniale stat cum gratia, uti docet *Trid. sess. 6. c. 11. Quantumvis Sancti & justi in levia saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi, ergo veniale*



le ex natura sua & præsciendendo à Dei imputatione habet, quòd non sit mortale, & consequenter quòd non mereatur pœnam æternam. 2. Deus justè imputat peccatum, sicuti unumquodque est malum & intrinsecè imputabile, ergo antecedenter ad Dei imputationem habet esse tale, ut exigat imputari vel graviter vel leviter, si enim sit prudens imputatio, debet haberi ejus fundamentum, alioquin verbum otiosum aut etiam actus indifferens posset ad mortale imputari. 3. Si ex imputatione sit peccatum, ergo ultimum, in quod resolveretur peccatum, erit imputatio Dei, & poterit homo dicere Deo, id est offenderis, quia tu vis.

Obji. 1. Ps. 31. dicitur, *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*, ergo ex imputatione Dei est peccatum. 2. Ecclesia pro animabus in solo veniali defunctis orat Deum, ne absorbeat eas tartarus, ut pœnas inferni non sustineant, & ergo agnoscit posse ideo adhuc damnari, & petit misericordiam Dei, ne id fiat. 3. Omne peccatum est grave vel leve theologicè per respectum ad legem Dei graviter vel leviter obligantem, ergo omne peccatum est grave vel leve per respectum ad volitionem Dei, ergo est tale, quia Deus vult esse tale, & imputat ut tale. R. Ad 1. n. conseq., quia etiam ille est beatus, cui Deus remittit actuale peccatum, nec tamen inde sequitur, ergo ex non remissione est actuale peccatum, sed potius sequitur oppositum, quòd non remissio supponat actuale peccatum: Deinde imputari hic significat tam perfectè remitti, ut nihil de pœna etiam maneat, sed homo redeat ad primam & æquè perfectam cum Deo amicitiam.

am, uti rectè explicat *Le Blanc* in hunc locum, *David* enim immediatè antè erat locutus de remissione culpæ, ergo hîc tantùm intelligit perfectam remissionem pœnæ. Ad 2. Ecclesia sic orans considerat animas veluti è corpore migrantes aut jam emigraturas, & orat pro eis veluti necdum judicatis, uti rectè *Herinx* d. 7. n. 9. Ad 3 Pendet à volitione Dei, quod aliqua saltem objecta, quæ nimirum non sunt intrinsecè mala, prohibeantur graviter vel leviter, aut etiam nullo modo, sed supposito quod sint graviter vel leviter prohibita, & quis talem legem transgrediat, non pendet à Dei volitione, quod hæc transgressio sit gravis vel levis; sicuti si nullo modo sint prohibita, non pendet à Dei volitione, ut talis actio sit vel non sit peccatum: hinc distinguo primum consequens, ergo omne peccatum est grave vel leve per respectum ad volitionem Dei, quæ constituit legem antecedenter ad peccatum, transeat, quæ post peccatum factum imputaret illud graviter vel leviter, n. consequ. 1. & 2.

*Inst.* Deus possit condonare totum mortale, ergo poterit eousque condonare, ut maneat tantùm veniale. R. Si sermo sit de pœna, c., si de culpa, n., est enim una malitia, ergo sicuti non potest Deus eousque minuere essentiam hominis, ut maneat brutum, sic nec poterit ita minuere essentiam mortalis, ut maneat veniale.

§. 5. Peccatum mortale & veniale differunt 139.  
ex natura sua, uti manifestè sequitur ex dictis, & ulterius probatur ex Conciliis ac definitione Pontificum, nam *Conc. Milev.*, cui interfuit *S. Aug.* & ejus *Canones* composuit, docet *Can. 6.*

7. 8. Sanctos & justos habere quædam peccata, quæ licet Sanctitati & Justitiæ non repugnent, tamen verè peccata sint, & remissione indigeant. Deinde Pius V., Greg. XIII., Urb. VIII. damnarunt hanc 21. prop. Baji: Nullum peccatum est ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur penam æternam. Idem habetur ex traditione Ecclesiæ aliisque Conc. & SS. PP. apud Bellarm. c. 10. Ratio est 1., quia irrationabile videtur, quod Deus propter offensusunculas, quas omnes nobis moraliter impossibile est vitare, possit amicitiam suam rescindere, gratiam tollere & æternum punire, sic enim non censeretur sincerè & constanter velle nos habere sibi amicos, imò amicitia & gratia Dei redderetur contemptibilis, sicuti inter homines censemus esse irrationabile, ut quis, five Superior five æqualis, propter quidvis levissimum moraliter indeclinabile graviter offenderetur & puniat, qui autem ita ad quidvis graviter offenderetur, ejus amicitia meritò esset contemptibilis tanquam aliquid omni momento amissibile & obnoxium nimis periculis, ergo tales offensusunculæ non sunt ex natura sua dignæ inimicitia Dei, sed veniales. 2. Furtum nummi levissimi ex natura sua non graviter repugnat naturæ rationali aut fini illius, & etiam seclusâ revelatione Dei, secundùm lumen naturæ cognoscimus esse quid tantùm leve, ergo ex natura sua non est peccatum grave.

390. Obji. 1. Matt. 5. dicitur, qui solverit unum de his mandatis minimis, minimus, id est, nullus vocabitur in regno cælorum. Item Joan. 13. dicitur, si non laveris te, non habebis partem mecum; hæc autem lotio significabat remissionem venialium, ergo

venia  
solver  
ne, e  
Hier  
men  
hoc  
expli  
mecu  
mort  
bebia  
à ven  
dina  
O  
pres  
pecca  
riri,  
mife  
Præ  
se su  
esse  
Bella  
S. Baj  
nach  
min  
talia  
ctio  
spon  
est,  
pecca  
comm  
ex L  
neg  
retu  
a. 2.  
T

venialia excludunt è cœlo. *Re. Ad 1.* additur, qui solverit & docuerit sic homines, pravâ interpretatione, corumpendo verbum Dei, uti explicat S. Hier., & dicendo ibi non esse peccatum, ubi tamen est, ille nullus erit in regno cœlorum, quia hoc faciendo peccat mortaliter. *Ad 2.* S. Basil. explicat, si lavari nolueris, non habebis partem mecum, quia hæc inobedientia fuisset peccatum mortale: SS. Aug. & Bernard. explicant, non habebis partem mecum, priusquam fueris lotus à venialibus, quia venialia impediunt beatitudinem.

*Obj. 2.* S. Basil. in qq. brevibus q. 293. expressè dicit differentiam majorum & minorum peccatorum nusquam in novo testamento reperiri, S. Aug. de vera & falsa pœnit. c. 8. dicit ex misericordia Dei esse, quòd venialia sint levia. Præterea multi PP. appellant venialia, quæ de se sunt mortalia, ergo apud ipsos in re idem est, esse mortale & veniale. *Re. Ad 1.* plures apud Bellarm. c. 13. dicunt eum librum falsò adscribi S. Basilio: alii dicunt tantùm velle, quòd à Monachis, cum quibus ibi agit, omnia sine discrimine sint cavenda, non querendo an sint mortalia an venialia, & ita Evangelium sine distinctione etiam dicit omnia cavenda: & hæc responsio videtur bona, nam titulus quæstionis est, quomodo ergo agi par est cum his, qui cum majora peccata declinant, minora perinde, ac si nihil referrent, committunt? *Ad 2.* S. Aug. se ipse explicat, nempe ex Dei misericordia esse, quòd ob venialia non negeatur gratiæ actuales, sine quibus consentiretur in mortalia. *Ad 3.* notat S. Th. 1. 2. q. 88. a. 2. peccatum apud PP. tripliciter dici veniale,

in primis à causa, si nempe fiat ex ignorantia vel fragilitate, tum enim dicitur veniale, quia est dignius gratiâ, quàm si fieret ex malitia. Deinde ab eventu, quia per pœnitentiam obtinetur ejus venia, & est quasi venisibile seu remissibile: atque in his duabus acceptionibus sæpe à PP. confunditur cum mortali. Quando autem significat veniale in se, id est, tale, ut de se stet cum amicitia Dei, semper in natura sua distinguitur à mortali, nec PP. illud cum mortali confundunt.

192. *Obji. 1.* Omnis offensa Dei est peior quàm offensa infinitæ creaturarum, sed hæc essent malitiæ infinitæ, ergo etiam omnis offensa Dei est malitiæ infinitæ, ergo est mortale. Deinde, omne veniale est plùs odibile, quàm infinitum bonum sit amabile, potiùs enim esset carendum infinito bono, quàm committendum veniale, sed infinitum bonum est infinitè amabile, ergo veniale est infinitè odibile, ergo malitiæ infinitæ, ergo mortale. Præterea pœna æterna damni & sensûs est minus malum, quàm unicum veniale, ergo qui committit veniale, meretur utramque illam pœnam æternam, ergo meretur mortem æternam, ergo est moraliter mortale. *R.* *Ad 1.* Offensæ infinitæ creaturarum nullam haberent malitiam Theologicam, hæc habet veniale, & ideo superioritate ordinis illat superat. *Ad 2.* Veniale est infinitè odibile, absolute, n, respectivè ad electionem ejus præ bono, id est, potiùs debet in infinitum odio haberi, quàm eligi propter quodvis bonum etiam infinitum, c, ex quo tantùm sequitur nullam esse eligibilitatem in veniali, non autem esse malitiam infinitam, nam nec possum eligere uni-

unicum veniale, ut impediam omnia mortalia aliorum hominum, nec tamen inde sequitur veniale esse pejus quàm mortalia. Ad 3. n. conseq., veniale habet in se malitiam moralem, quia est volitio libera malitiæ objectivæ, pœna non habet, quia consistit in perpeffione mali extrinsecus illati, ex quo plus non sequitur, quàm quòd veniale nullo modo fit eligibile, pœna autem possit eligi, ut vitetur veniale, sed non sequitur, quòd veniale non possit satis puniri per quamvis pœnam, quia pœna in ratione pœnæ seu correptionis potest esse major, quàm veniale sit malum in ratione culpæ: & saltem est certum, quòd veniale non mereatur privationem amicitia Dei.

*Inst. 1.* Minimum opus bonum meretur præmium æternum, ergo minimum opus malum meretur pœnam æternam. R. n. conseq., quando opus bonum meretur præmium æternum, hoc habet à supernaturalitate, & quia operans est per gratiam, vel fit filius Dei, cui sic operanti appromissa est gloria & hæreditas æterna, nihil tale est, quòd reddat veniale dignum pœna æternâ.

*Inst. 2.* Saltem veniale, quod committitur ab illo, qui est in mortali, merebitur pœnam æternam, sicut actus, qui fit à iusto, meretur præmium æternum. R. n. seq., quia opera bona dignificantur à personæ dignitate, objectum enim complacentiæ divinæ est opus etiam prout est à tali persona per gratiam dignificata: opera mala de se sunt indigna & ingrata Deo, neque semper indignificantur ratione operantis aliunde accidentaliter indigni, nam si fiant ab ho-

ste, censentur minùs mala, cùm indignius sit ali-  
quod malum inferri ab amico vel filio, secun-  
dùm illud Pl. 54. *Si inimicus meus maledixisset mihi,  
sustinuissem utique; tu verò homo unanims &c. qui  
dulces mecum capiebas cibos &c.*: ergo objectum  
hujus displicentiæ non tam est persona operans  
quàm opus ipsum, quod exigit puniri, non se-  
cundùm indignitatem accidentalem operantis,  
sed secundùm malitiam suam: cum hoc tamen  
stat, quòd ob naturalem quasi vilitatem perso-  
næ offendentis quandoque censeatur offensa  
major, uti si rusticus percutiat nobilem, conse-  
tur gravius, quàm si nobilis nobilem, quia talis  
vilitas naturalis subjecti in æstimatione pruden-  
tium plùs auget indignitatem operis, quàm vili-  
tas tantùm accidentalis per peccatum.

*Inslab. 3.* Veniale est contra legem minan-  
tem gravem pœnam, scilicet mortis temporalis  
vel purgatorii, quam veniale meretur, ergo est  
mortale, gravis enim obligatio legis civilis ex  
eo colligitur, quòd minetur pœnam mortis. *Re.*  
Mors temporalis vel purgatorium respectu vè ad  
Deum & vitam æternam est quid leve: respectu  
legum humanarum est quid grave, quia est sum-  
mum, quod possunt inferre homines.

193. *Obji. 4.* Quòd veniale remittatur, est ex gra-  
tia Dei, ergo posset non remitti, ergo posset  
semper puniri, & quòd non semper puniatur,  
est Dei misericordia, ergo de se est mortale. *Re.*  
Est ex gratia Dei, sed suo modo debita, quia  
gratia Dei, quam veniale non tollit, exigit ejus  
aliquando remissionem fieri, potèstque homo  
condignè pro illo satisfacere aut saltem satisfac-  
ti. Quòd si fortè non remittatur aut etiam æter-  
nità

nūm puniatur in inferno , quia conjunctum est cum mortali, id non est ex natura peccati venialis, sed per accidens ob statum damnati propter mortale.

*Inst.* Deus posset non acceptare satisfactionem pro veniali, tum autem homo propter veniale privaretur æternâ beatitudine, ergo tale veniale esset mortale. R. Deum tum æcturum ut absolutum Dominum, & præter naturam ac exigentiam gratiæ: de cætero veniale ex se non meretur æternam privationem gloriæ, aliàs etiam mereretur privationem æternam gratiæ, quæ confert jus ad gloriæ æternam.

*Obji.* 5. Peccans venialiter, v. g. disputans ob vanam gloriæ, posit finem ultimum in creatura, sibi enim quærit illud bonum gloriæ, & in illo sistit, ergo peccat mortaliter, nam mortale est habere alium finem ultimum quàm Deum: Nec refert: quòd hic alius finis sit aliquid leve, nam tantò indignius est, ut in eo ponatur finis ultimus. R. n. anteced., tum enim tantum poneretur finis ultimus in creatura per veniale amata, si quis ex affectu ad hanc paratus esset transgredi alia graviora præcepta, uti rectè *Suar.* d. 2. l. 6. à n. 12. De cætero, si hoc non fiat, & maximè si venialiter peccans sit in gratia, quasi habitu refert illud bonum creatum in Deum, uti habet *S. Th.* supra a. 1: ad 3., vel quia habet habitum charitatis, qui est ordinatio ad Deum, vel quia veniale refertur ad bonum peccantis, peccans autem per habitum charitatis refertur ad Deum, quòd sufficit, ut veniale improprie dicatur habitualiter referri ad Deum, uti notat *Gonet* d. 9. n. 72.



*Inst. 1.* Ergo si peccans venialiter sit in mortali, tum habet creaturam pro fine ultimo, non enim habet habitum charitatis, quo ordinatur ad Deum *3. n. seq.*, quia illud veniale, quantum est de se, non excludit habituales ordinationem actus humani ad Deum, cum non excludat charitatem, quæ ad Deum ordinat: per accidens autem est, quod illa ordinatio excludatur per mortale adjunctum.

*Inst. 2.* Disputant ob vanam gloriam non refert actu vanam gloriam ad Deum, quia disputat ob suam & non ob Dei gloriam: imò si suum peccatum referret ad Dei gloriam, vellet Deum honorari per peccatum, in quo esset gravis irreverentia & hæresis, ergo talis actus fit in illo suo bono creato, ergo actu habet illud suum bonum creatum pro fine ultimo. *Respondet 1. Suarez s. 4. n. 11.* habere bonum creatum pro fine ultimo, negativè tantum, id est, non referre in Deum tanquam finem ultimum, attamen non ideo velle, ut Deus non sit ultimus finis, sicut si quis sagittam emittat in liberum aërem, sagitta non tendit in metam, sed non ideo habet aliam metam: neque est de ratione ultimi finis, ut etiam mala ad illum referantur, sed tantum ut bona; & ut per mala simpliciter non deseratur. *Respondet 2. Gonet n. 82.* talem habere bonum creatum pro fine ultimo, non simpliciter, sed secundum quid, id est, excludere tantum relationem actualem istius actus ad Deum, non tamen habituales, uti antè dictum est: & utraque responsio in idem recidit. An & qualis sit obligatio omnium referendi ad Deum, dicetur à n. 208., & intelligi potest ex jam dictis.

*Obj.* 6. Veniale contemnit Deum, ergo est 195.  
 mortale. *Prob. ant.* ideo mortale contemnit  
 Deum, quia immediatè est contra amicitiam Dei  
 & mediatè contra Deum, sed veniale est imme-  
 diatè contra familiaritatem Dei & mediatè con-  
 tra Deum, ergo veniale contemnit Deum. *R. n.*  
*antec.*, ad *prob.*, disparitas est, quod nolle ami-  
 citiam sit simpliciter deserere Deum, nolle au-  
 tem familiaritatem, non sit simpliciter deserere  
 Deum, sed tantùm modum perfectiùs habendi  
 Deum, sicuti non videre Deum est separari à Deo  
 & damnari; sed videre remissiùs est tantùm se-  
 parari à modo clariùs videndi.

*Inst.* 1. Veniale minuit amicitiam Dei, ergo  
 est contra amicitiam Dei, adeoque mortale.  
*R.* Minuit amicitiam Dei præhabitam, minuendo  
 gratiam, per quam sumus amici Deo, n, nul-  
 lus enim gradus amicitiaz præhabitæ tollitur per  
 veniale: minuit amicitiam Dei habendam, im-  
 pediendo actus perfectiores, quibus augeretur  
 gratia, aut etiam disponendo ad perdendam Dei  
 amicitiam, c, per hoc autem non peccatur gra-  
 viter, quia non est obligatio saltem gravis ad il-  
 los actus perfectiores, aut ad augendam gratiam,  
 aut ad cavendas omnes occasiones remotas per-  
 dendæ Dei amicitiaz.

*Inst.* 2. Si humanitas Christi committeret  
 veniale, perderet unionem cum Deo, ergo si-  
 gnum est esse mortale, inde enim colligimus ali-  
 quod peccatum esse mortale, quia tollit gratiam  
 & dividit à Deo. *R. n. conseq.*, hoc tantùm est  
 mortale, quod tollit amicitiam Dei, veniale  
 tolleret unionem physicam cum Deo, non ex  
 oppositione cum amicitia Dei, sed ob perfe-

atissimam sanctitatem, quæ convenit personæ divinæ, qualis est Christus, cum qua sanctitate stare non potest veniale.

196. *Obji. 7.* Si daretur veniale, esset, v.g. detractio famæ in materia levi, hoc autem peccatum non est veniale, quia est ablatio majoris boni, quam sit ducatus, sed ablatio ducati est mortale, ergo. *R.* Detractio levis est ablatio boni ex genere suo & pollicitè majoris, attamen simpliciter & Theologicè parvi in illo suo genere, datur enim in omni genere boni creati aliquid simplicitè Theologicè parvum, ratione cujus peccatum dicitur leve, quamvis illud bonum secundùm comparisonem cum bono inferioris ordinis censeatur politice majus.

197. *Obji. 8.* Incredibile est, quòd duo furta, que non distant ab invicem nisi unico nummo, ex natura sua ita differant, ut unum tollat amicitiam Dei, & sit punibile pœnâ æternâ, alterum autem non, sed hoc dicendum est, si detur mortale & veniale ex natura sua, nam ponamus materiam gravis furti esse determinatè aureum, qui hunc furatur, peccat mortaliter, qui furatur minùs unico nummo, peccat venialiter, ergo. *R.* Hanc difficultatem esse solutam. l. 3. p. 1. n. 1001.

198. *Q. 32.* *Quenam peccata de se sint mortalia & quenam venialia.* *R.* Dari mortalia & venialia ex se talia, constat ex dictis à n. 185., sed determinare, quænam illa sint, est periculosissimum & difficillimum, inquit *S. Aug.* de civ. Dei l. 21. c. ult., & *S. Th.* quodl. 9. a. 15. sic, *Omnis questio, in qua de peccato mortali queritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur.*

Uni-

Universaliter dici potest ibi esse mortale, ubi est materia gravis & quantitas notabilis, in quam tenditur cum plena advertentia & pleno consensu; è contrà ibi esse veniale, ubi saltem unum horum deest, uti intelligetur ex sequentibus; & ut à primo, quod est gravis materia, inchoemus, supponendum est mortale aliud esse tale per se sive ex genere & objecto, aliud per accidens; mortale per se est, intra cuius objectum est aliquid secundum se grave, id est, graviter repugnans naturæ rationali, uti furtum; vel oppositum legi graviter obliganti, uti omissio Missæ die festo; nam intra objectum furti est aliquid, quod graviter repugnat juri naturæ, v. g. ablatio ducati, & intra objectum omissionis Missæ est aliquid, quod graviter opponitur præcepto Missæ, v. g. omissio medietatis. Mortale per accidens est, cuius objectum non est aliquid de se grave, tamen ob circumstantiam, quæ accedit, fit objectum illius grave, v. g. verbum jocosum in circumstantia gravis scandali, quod datur innocentibus, mendacium in circumstantia conscientie erroneæ, quæ judicatur esse mortale, vel in circumstantia gravis damni, quod per illud causatur proximo. Hic dubitatur, quænam peccata sint per se mortalia, quænam per se venialia.

§. 1. Mortale per se est duplex, aliud ex toto 199.  
 genere, aliud tantum ex genere suo. Mortale ex toto genere est, quod semper est mortale, ita ut intra idem genus non possit dari veniale, per se loquendo, id est, spectatâ materiâ ipsius peccati, præscindendo ab erronea conscientia, simplici plena advertentia vel indeliberato consensu.

Mortale ex genere suo tantum est, quod per se est mortale, ita tamen, ut intra idem genus dari possit veniale.

200. §. 2. Mortalia ex toto genere sunt, quæ vel directè sunt contra Deum aut aliquam ejus perfectionem, vel quæ in gravissimum generis humani præjudicium cederent, si haberent parvitatem materiæ, vel quæ sunt circa rem absolute gravem, quæ non est capax ullius latitudinis, sed quasi in indivisibili consistit.

201. Ad 1. genus spectat 1. Infidelitas, per quam, si res etiam minima discredatur, derogatur, vel infinitæ veracitati Dei; quæ se interponit pro veritate talis rei revelatæ, vel ejus fidelitati, quæ promissit ita assistere Ecclesiæ, ut non permittat errare in proponendis fidei rebus. 2. Blasphemia, per quam aliquid imperfectionis attribuitur Deo, vel aliquid perfectionis adimitur, quod ipse excellentiæ derogat: si tamen Blasphemia consistat in sancto, uti si per jocum dicas S. Crispinum fuisse sutorem, poterit esse veniale, ut habent Sanchez Opied. Controv. 3. p. 4. n. 47. alique apud Dian. p. 5. r. 5 R. 3. contra Lorcam. 3. Odium, quo quis vult aliquid, quia Deo malum est, etiam si sit levissimum, quia hoc derogat infinitæ ejus amabilitati. 4. Perjurium, quo infinita Dei veritas vocatur in testimonium falsi, uti constat etiam ex hac prop. 24. ab Inn. XI. damnata, Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem. 5. Desperatio, quæ derogat, vel fidelitati vel misericordiz, vel omnipotentiz Dei. 6. Præsumptio, quæ derogat justitiz Dei, quasi hoc punitura non esset, vel justò languidius

processura: hinc audiendus non est *Bona-spei* de spe d. 4. n. 48 putans eum peccare venialiter, qui ex præsumptione bonitatis Dei peccat venialiter, aut ex eadem differt poenitentiam ad breve tempus. 7. Simonia saltem juris naturalis, uti dictum est l. 3. p. 1. n. 198. De simonia juris ecclesiastici, vide dicta l. 4. n. 632. 8. Huc etiam spectat superstitio, divinatio, sortilegia, magia, si per illa directè tribuatur creaturæ, quod soli Deo est proprium, v. g. scientia futuri liberi, potentia ad aliquid supernaturale, *Diana R.* 29. 9. Huc reducit *Rhodes* d. 1. q. 3. s. 2. §. 2. irritationem Sacramentorum, quia fit gravis irreverentia institutioni Christi, si per quid vis, etiam levissimum, frustrentur sine. Cur autem hæc omnia sint mortalia, quantumcunque parva sit materia, est hæc ratio, quia semper invenitur in his integra ratio irreverentiæ, nec propter materiam magnam vel parvam variatur iudicium morale.

Ad 2 genus spectant, 1. Homicidium, si enim 201.  
unquam liceret, gravissimæ perturbationes inveherentur in Remp. humanam. Nec obstat, quòd homo non fuisset fortè nisi unico quadrante supervicturus, quia adhuc vita illa nullo pretio est satis æstimabilis, tam ratione suâ, quàm bonorum actuum, qui eâ durante fieri possunt. 2. Peccata, quæ extra Matrimonium sunt in materia venerea, uti dictum est à n. 98., si enim vel minima voluptas venerea esset tantùm venialis, tunc ex vehementia propensionis ad illam, & exigua aversione à peccato veniali sequeretur immensa corruptio naturæ, in gravissimum præjudicium generis & propagationis humanæ, uti rectè notat *Haur.* De pecc. n. 412. 9  
&

- & latè probat *Sanch. Ia Decal. 1. 5. c. 6.*
203. *Ad 3. genus* reducunt aliqui cum *Diana R. 11.* materiam jejunii naturalis prærequisiti ante Communionē, hoc enim graviter præcipitur in reverentiam Eucharistiæ, & frangitur per quidvis etiam minimum sumptum per modum cibi vel potūs. Idem dicunt de statu gratiæ præquisito ante Sacramenta vivorum, qui status, quamvis sit capax latitudinis, cū gratia possit esse major vel minor, tamen absolutè requiritur status alicujus gratiæ, ut tale Sacramentum, per se loquendo, suscipiatur. Aliqui eò reducunt materiam fractionis sigilli, quia quantumcunque leve aliquid ad sigillum spectans reveletur, semper absolutè solvitur sigillum, & peccatur mortaliter, *Dian. R. 8.* ubi *R. 9.* simili modo loquitur de sollicitatione ad turpia, quæ fit in Cōfessione. Item huc spectat materia mixtionis aquæ & vini pro consecratione, quia quantumcunque parvum aquæ addatur, satis est; si nihil addatur, est mortale. Alia similia adducit *Bona Spei De pecc. d. 9. n. 61.*, sed rectè notat in plerisque saltem reperiri parvitatem materiæ. An autem talia peccata, quæ de se non admittunt parvitatem materiæ, dici possint eam admittere, prout substantiæ præcisioni formali peccantis, quæstio est parvum utilis, pro qua videri potest *Bona Spei à n. 25.* Ratio omnium antedictorum est, quia per singula illa peccatur mortaliter, & manendo in materia illorum peccatorum non potest peccari venialiter, ergo sunt mortalia ex toto genere.
204. §. 3. Mortalia ex genere suo tantum, sunt, quæ repugnant, 1. Charitati erga se ipsum & proximum, sic enim graviter vel leviter peccatur

tur nocendo bonis spiritualibus & corporalibus  
 tam propriis quàm alienis. Item per odium, in-  
 vidiam, crudelitatem, immisericordiam &c. 2.  
 Religioni, nam subtrahi potest de cultu debito  
 Deo, v. g. de oratione, multùm vel parùm; po-  
 test furto subduci res sacra, magna vel parva;  
 reliquæ parvæ vel magnæ, & sic peccatur gra-  
 viter vel leviter, *Diana R.* 35. Idem est in mate-  
 ria juramenti promissorii, secundùm dicta l. 3.  
 p. 1. n. 305., si etiam non servetur, peccatur con-  
 tra fidelitatem Deo debitam, graviter vel levi-  
 ter, prout materia erit. Et idem est de transgres-  
 sione voti. 3. Pietati, obedientiæ & observantiæ  
 debitæ Superioribus, *S. Thom.* 2. 2. q. 105. a. 1.  
 4. Humilitati, quæ respicit subjectionem homi-  
 nis ad Deum, contra quam graviter peccatur  
 per superbiam, si quis existimet se habere ali-  
 quid à se, aut habere quidem à Deo, sed ex suis  
 meritis, aut in aliquo non indigere auxilio Dei,  
*S. Thom.* q. 162. a. 5; Communiter tamen pec-  
 catur tantùm venialiter, v. g. per elationem  
 quandam animi, vanam complacentiam, ina-  
 nam gloriam aut jactantiam. 5. Justitiæ, per vul-  
 nerationem, furtum, detractionem, judicium  
 temerarium, quæ, prout res est gravis vel levis,  
 sunt mortalis aut venialia. De suspitione teme-  
 raria vide dicta l. 3. p. 2. n. 1177. Item de usura  
 dictum est ibidem n. 848. Difficilius est deter-  
 minare, an decur in electione minus digni præ-  
 digniore, v. g. ad pinguem parochiam, in casu,  
 quo est parva inæqualitas dignitatis: affirmant,  
*Sot. Ban. Valentia, Rodriq. Less. Fill. Lugo De just.*  
 d. 35. n. 21., quia parùm pro nihilo reputatur:  
 negat *Turr.*, quia talis peccat venialiter, secun-  
 dùm



dum AA. cit. , ergo hoc non reputatur pro  
hilo : deinde supposita dignitate majore est ab-  
solutè gravis materia , sicuti supposita indig-  
tia extremâ æquali est absolutè gravis obligatio  
ut prius subvenias consanguineo quàm extra-  
neo , inquit Diana R. 13. , qui tamen utramque  
sententiam fatetur esse probabilem : Et R. 14. re-  
ctè docet cum communi dari parvitatem mate-  
riæ in negatione debiti conjugalis , v. g. ad me-  
dium diem. 6. Temperantiæ , ad quam spectant  
peccata , quibus exceditur in delectationibus  
præcipuè tactûs & gustûs. Ad tactum spectant de-  
lectationes sensibiles , quibus peccari potest mor-  
taliter & venialiter , secundum dicta l. 3. p. 1. ab  
893. Ad gustum , comessatio , per quam grave va-  
leve damnum infertur valetudini : Item ebrietas  
in qua ob voluptatem causatur plena vel semi-  
plena privatio rationis ; quamvis hæc duo pecca-  
ta potiùs aliunde , quàm præcisè per oppositio-  
nem cum temperantia , habeant malitiam gra-  
vem , nam licet semper sit peccatum quærere vo-  
luptatem in cibo & potu , si voluptas illa non re-  
feratur ad ullum honestum finem , uti dicitur  
n. 310. , non videtur tamen unquam peccari  
mortaliter , si nihil aliud accedat : in comessati-  
one autem accedit notabilis corruptio valetu-  
dinis , per quam graviter peccatur contra cha-  
ritatem propriam , & contra jus , quod solus  
Deus habet in corpus & vitam nostram. In e-  
brietate accedit specialis dissonantia à natura ra-  
tionali , quia ratio violentè & temerè exturba-  
tur , absque potestate brevè redeundi ad equi-  
usum , per quod homo fit veluti pecus. Vide de-  
cendâ à n. 319. Similiter peccari posse graviter

vel leviter in plurimis aliis casibus docet *Diana* l. c., & speciatim id docet de mendacio in Confessione, R. 27. De verbis consecrationis, R. 39. & 41. De conjunctione materiz & formz Sacramentorum, R. 40. De omissione partium Canonis, R. 45. De titulo Ordinationis, R. 20. De dilatione pœnitentiæ Sacramentalis, R. 15. De alienatione rerum ecclesiasticarum, R. 57. De celebranda Missa post meridiem, R. 58. De dimissione habitus religiosi, R. 61. De gestatione tonsuræ clericalis, R. 60. De percussione Clerici, R. 65. De communicatione cum excommunicato, R. 21. De violatione interdicti, R. 59. De ingressu velegressu clausuræ religiosæ, R. 22. De lectione & retentione librorum hæreticorum, R. 42. & 43. Ratio autem omnium antè dictorum est, quia per singula illa peccari potest mortaliter, & manendo in materiis illorum peccatorum potest peccari etiam venialiter: tum nempe peccatur mortaliter, quando importatur multum materiz; tum venialiter, quando importatur parum materiz, ergo illa ex genere suo tantum, & non ex toto genere sunt mortalia.

§. 4. Venialia ex genere suo sunt, quæ opponuntur, 1. Liberalitati, uti prodigalitas & tenacitas; item avaritia, quæ prout immoderate inclinatur ad opes, etiam cum injuria proximi, sic opponitur justitiæ, & est ex genere suo mortale; prout autem inclinatur ad immoderatos affectus circa opes, citra injuriam proximi, sic opponitur liberalitati, & est ex genere suo veniale, *S. Thom. 2. 2. q. 118. a. 3. & 4. 2. Magnificentiz, uti parsimonia & profusio sumptuum,* scilicet

scilicet nimis parva aut magna, respectivè ad opus faciendum, *S. Thom. q. 134. & 135. 3.* Veracitati, uti mendacium, de quo *S. Thom. q. 110. a. 4.*; ad quod spectat simulatio, quâ quis se exhibet alium exterius, quàm est interius: Item hypocrisis, quâ quis simulat sanctitatem, estque veniale de se, potest tamen aliunde esse mortale, uti si contemnat sanctitatem, quam simulat, vel si per hoc intendat grave nocumentum suum aut proximi, *S. Thom. q. 111. a. 4. 4.* Modestiz, uti nimia cura vel neglectus vestium, inconditi gestus & joci, scurrilicates. 5. Eustrapeliæ, quæ moderatur lusus, nempe ne nimium admittantur vel rejiciantur, *S. Thom. q. 168. a. 3. & 4.* 6. Gratitudini, *S. Thom. q. 107. a. 3.* 7. Studiositati, uti otium & nimia aviditas sciendi. 8. Etiam plerumque ex objecto venialia sunt, adulatio, pertinacia, inconstantia, impatientia, ira, quæ in passione est, & in modo vindictam expetit, uti ait *S. Thom. q. 158. a. 3.* 9. Inter illa, quæ ideo mala sunt, quia prohibita, omnia sunt ex genere suo venialia, quæ satis fuit prohiberi leviter, in ordine ad hoc, ut impedireatur, & spectatâ conditione fragilitatis humanæ fuisset perniciosissimum graviter prohiberi. Ratio horum omnium est, quia per singula illa peccatur tantùm venialiter, & manendo in materiis illorum peccatorum, quantum est ratione objecti, non potest peccari mortaliter, ergo ex genere suo sunt venialia. Dico, quantum est ratione objecti, nam si quis mentiatur ex formali contemptu honestatis, quæ est in veracitate, aut ex compensatione animi, quod vellet mentiri, quamvis foret mortale, peccat mortaliter, etiam

etiam  
jecti si  
censu  
Deni  
p. i. c.  
genero  
nz lib  
hæc,  
suo su  
tantur  
venial  
tantur  
Q  
veniale  
quend  
per ho  
septu  
est, e  
gem a  
non est  
non o  
vens c  
ad Co  
non ic  
confil  
sum d  
morte  
Contra  
incon  
ferent  
catun  
sunt r  
dia. C  
venia  
etiam  
Tor

etiam contra virtutem veracitatis, ratione sub-  
jecti sic dispositi per actum de se graviter inde-  
centem, & idem est respectu aliarum virtutum.  
Denique notandum ex *Jacobo Alvarez* t. 2. l. 1.  
p. 1. c. 15. illa venialia esse gravissima, quæ ex  
genere suo sunt mortalia, sed ob defectum ple-  
næ libertatis vel materiæ fiunt venialia: Post  
hæc, illa venialia sunt graviora, quæ ex genere  
suo sunt venialia, sed plenè deliberatè commit-  
tuntur: Levissima sunt, quæ ex genere suo sunt  
venialia, & adhuc ex subreptione commit-  
tuntur.

Q 33. Per quid differant peccatum mortale & 106  
veniale. R. 9. 1. Varii suat de hoc modi lo-  
quendi, nam 1. *Scot. Gabr. Rub.* & alii dicunt  
per hoc differre, quod mortale sit contra præ-  
ceptum, veniale contra consilium: sed contra  
est, quia omne peccatum debet esse contra le-  
gem aliquam, nam *Apost. ad Rom. 4.* dicit, *ubi*  
*non est lex, non est prævaricatio.* Deinde consilium  
non obligat, alioquin virgo peccaret non vo-  
vens castitatem, quod est contra *Apostolum 1.*  
*ad Corinth. 7., Si nupserit virgo, non peccat, ergo*  
*non ideo aliquid est peccatum, quod sit contra*  
*consilium.* 2. *S. Bonav. Alens.* & alii apud *Ami-*  
*sum* d. 13. n. 41. dicunt per hoc differre, quod  
mortale sit contra legem, veniale præter legem.  
Contra est, quia hæc sententia incidit in eadem  
inconvenientiam, in quæ prior. Deinde actus indif-  
ferens etiam est præter legem, nec tamen est pec-  
catum. 3. *Caj. Conr.* & alii apud *Amicum* n. 40. di-  
cunt mortale esse circa Deum, veniale circa me-  
dia. Contra est, odium Dei semideliberatum est  
veniale circa Deum; ebrietas autem non est circa  
Tom. V. N Deum,

Deum, sed circa media, & tamen est mortale  
 4<sup>a</sup> Hurt. & alii cum *Aversa* q. 88. s. 6., quos  
 defendit *Opiedo* controv. 3. p. 3. n. 11., dicunt de  
 ferre, quod mortale sit grave malum, veniale  
 autem sit leve malum: sed hæc differentia non  
 adfert claritatis, quæstio enim est, cur unum  
 catur grave, alterum leve, & unde habeatur  
 mortale, quod sit grave malum, veniale autem  
 quod sit leve. 5. *Mlodz.* tr. 2. d. 2. q. 1. respicit  
 adhuc pluribus sententiis dicit per hoc diffiniri  
 quod mortale importet gravem dissonantiam  
 natura rationali, veniale levem; Ita re confertur  
*Eliz.* l. 8. q. 13. §. 9. explicans per magnam  
 modicam dissonantiam à recta ratione per  
 dem & auctoritatem instituta. Contra est, qui  
 sic tantum explicatur differentia peccati philo-  
 sophicè gravis & levis. Deinde restat explicandum,  
 cur, v. g. comestio carniū die jejuni  
 graviter dissonet à natura rationali, & non  
 comestio buccellæ panis extra refectioes. 6. Alii  
 dicunt differre per hoc, quod mortale sit  
 simpliciter peccatum, id est, perfecta transgressio  
 divinæ legis simpliciter dictæ; veniale autem  
 peccatum tantum secundum quid, quia nempe  
 vel non est perfecta transgressio divinæ legis  
 vel non est transgressio legis simpliciter dictæ  
 nam si sit veniale ex subreptione, non est absolute  
 perfecte liber, ergo nec est perfecta transgressio  
 hæc enim significat perfectam & plenam mor-  
 litatem Si autem sit veniale ex levitate materiæ  
 non est simpliciter contra legem, quia lex, v. g.  
 non furtum facies, prohibet furtum simpliciter  
 tale, furtum autem simpliciter tale, est ex  
 nere suo furtum grave. Denique si sit veniale

ex genere suo, quamvis possit etiam esse actus perfecte liber, & etiam contra legem, quæ directe illud prohibeat, tamen talis lex non est simpliciter lex, quia nomine legis simpliciter venit sola lex graviter obligans, uti fatentur AA. communissime cum S. Bonav. Scot. Suar. d. 2. l. 5. d. 1. Amico n. 45. Oviedo n. 38., ideoque S. Thom. 1. 2. q. 88. a. 1. ad 1. dicit, Non enim veniale est contra legem, intellige, graviter obligantem. Rationem dat Bellarm. quia finis omnis legis simpliciter talis est charitas, uti constat ex Matth. 22. v. 40. & ex 1. ad Timoth. 1. v. 5., ergo quod non est contra charitatem, non est contra legem simpliciter, quod autem est contra charitatem, est ex genere suo grave, ergo quod est contra legem simpliciter, est aliquid grave. Hæc sententia fortè est vera, attamen indigeret longâ explanatione, hinc

§. 2. Mortale & veniale differunt saltem secundario per sequentia, 1. Quòd mortale sit simpliciter aversio à Deo, quia facit Deum simpliciter deseri; veniale autem tantum impedit perfectiorem conversionem ad Deum 2. Quòd mortale ponat finem ultimum in creatura, hoc sensu, imprimis quòd volendo creaturam deserat ultimum suum finem, & referendo creaturam ad seipsum, interpretativè habeat se veluti finem ultimum: Deinde etiam illo sensu, quòd amet creaturam loco ultimi finis amandi, & creaturam præferat ultimo fini, nempe Deo; veniale autem relinquat conversionem saltem habitualem ad Deum tanquam finem ultimum. 3. Quòd mortale sit contemptus saltem virtualis Dei, quia simpliciter deserit Deum, ut adha-

N 2

reat

reat creaturæ, hoc autem contemnitur, quod  
 simpliciter deseritur, ut aliquid aliud queratur.  
**Veniale non contemnitur Deum**, quia licet crea-  
 turam in actu exercito præferat voluntati De-  
 i, tamen non ideo deseritur Deus, nec tollitur ha-  
 bitus ad Deum. 4. Quod mortale tollat  
 avertat à mediis poni debitis & ad salutem ne-  
 cessariis, veniale autem à mediis tantum utilibus  
 ad salutem. 5. Quod mortale sit dignum Deo  
 odio & inimicitia, veniale fiet cum amicitia.  
 6. Quod mortale sit mors animæ, quia tollit  
 gratiam, quæ est vita animæ; veniale autem  
 fit tantum veluti morbus disponens ad mor-  
 tem. 7. Quod mortale cum gratia tollat ha-  
 bitum charitatis cæterarumque virtutum mo-  
 raliū: veniale autem relinquat. 8. Quod  
 mortale sit irreparabile operanti, quia tollit  
 principium reparationis, quæ est gratia; ve-  
 niale autem fit reparabile, quia relinquit gra-  
 tiam, per quam veniale tolli potest. 9. Quod  
 mortale mereatur pœnam æternam damna-  
 tionis: veniale temporalem tantum. Quod au-  
 tem mortale non fiet cum actu charitatis, pro-  
 babitur L 6 p. 2. à n. 774.

208. Q. 34. An & quale peccatum sit non referre  
 omnes suas actiones ad Deum. R. Quæstio tantum  
 est de actionibus humano modo & deliberatis  
 factis, de quibus tenenda sunt sequentia. §. 1. Nihil  
 la est obligatio omnia actu & formaliter semper  
 referendi ad Deum, quia secundum S. Thomam  
 de charit. a. 1. ad 2., Omnia actu referre in Deum  
 non est possibile in hac vita, sicut non est possibile, quod  
 semper de Deo cogitetur, hoc enim pertinet ad perfe-  
 ctionem omnium

tionem primam (patria scilicet) sed quòd omnia virtute referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis, ad quam omnes tenentur. Itaque ad perfectionem saltem spectat omnia virtualiter referre ad Deum, hanc autem relationem virtua- lem explicat S. Thom. ibid. exemplo Medici, qui colligit herbas, & inde potionem conficit, quamvis actu non cogitet de sanitate, ob quam colligit & conficit: Item 1. 2. q. 1. a. 6. ad 3. explicat exemplo itinerantis, qui totum iter refert ad locum, ad quem tendit, licet de hoc non cogitet actu semper. Quid autem re ipsa sit illa intentio virtualis, colligi potest ex dictis l. 4. n. 1324.

§. 2. Est aliqua obligatio omnes actiones nostras aliquo modo referendi ad Deum, uti evincitur, 1. Ex Scriptura, ad Coloss. 3. v. 17. *Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini JESU Christi*: 1. ad Corinth. 10. v. 31. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*: Et id esse præcepti, docet S. Th. in Epist. ad Coloss. c. 3. lect. 3. *Quidam dicunt, quòd hoc est consilium, sed hoc non est verum: hinc 1. 2. q. 44. a. 5. ait, præcipitur nobis, ut tota nostra intentio feratur in Deum. Similiter S. Bern. serm. 2. de diversis, Quidquid facimus, jubemur facere in gloriam Dei; similiter S. Ambr. super Malachiam; S. Hier. in Epist. ad Cresiph.; Theodoretus in Epist. 1. ad Corinth. c. 10. S. Greg. l. 25. moral. cap. 7. Disertè S. Aug. in Psalm. 65. Si ideo facis, ut glorificeris tu, hoc prohibui; si ideo, ut glorificetur Deus, hoc jussi: Item c. 3. de corrept. & grat. præcipit Apostolus dicens, omnia in charitate fiant. Et similiter loquuntur*



alii SS PP. ac viri ascetici. Ratio autem est, quia Deo debemus nostras actiones, imprimis titulo supremi dominii, ex quo omnia magis debentur Deo, quam cuivis domino temporali opera servi; deinde etiam titulo creatoris, redemptoris, summi benefactoris, finis nostri ultimi &c.

210. §. 3. Tenemur omnia referre ad Deum, imprimis hoc sensu, quod non liceat nobis sistere in ulla creatura tanquam fine ultimo, velendo eam frui, deserto vel non desiderato Deo, idque sub mortali, id enim cederet in gravem contemptum Dei, à quo, quantum in nobis est, tolleremus rationem finis ultimi, quæ tamen ei essentialiter competit: deinde etiam tenemur omnia referre ad Deum saltem habitu, uti explicatum est n. 194., ubi etiam ostendimus, quod peccando venialiter, v. g. agendo aliquid propter vanam gloriam, non ideo censetur creaturam habere positivè pro fine ultimo: præterea tenemur etiam referre virtualiter actiones humanas ad Deum, secundum dicenda à n. 312.; ubi admittimus omnes actus humanos debere referri ad aliquem honestum finem; at tamen l. 3. p. 1. m. 1. diximus non ideo teneri nos omnia agere ex motivo perfectæ charitatis in Deum. De obligatione præfigendi bonam intentionem suis operibus, dicitur n. 317.

211. Q. 35. An & quale sit peccatum non obsequii inspirationibus divinis aut contra illas admittere imperfectiones. R. §. 1. Si divinæ inspirationes tendant ad opera consilii, nequidem est veniale non sequi, alioquin esset peccatum non eligere statum religiosum, paupertatem, castitatem &c., & talia non essent consilii sed præcepti: SARTOR

tamen contemneretur inspiratio, patet fore peccatum, quoniam autem censetur contemni, intelligitur ex dicendis à n. 237. Similiter si inspirationes tendant ad opus præcepti, peccatum erit eas non sequi, uti peccatum est non implere præceptum. Vide Mendo diff. 13.

q. 4.

§. 2. Quoddam attinet ad imperfectiones, supponendum est, quoddam imperfectio sit actio vel omisio repugnans consilio in re ad mores spectante, quæ ex se nec prohibita est nec imperata, unde imperfectio, est vel contra inspirationem divinam, vel contra voluntatem Superiorum, quæ tamen non obliget sub peccato, vel est contra dictamen rectæ rationis impellens ad honestiora & decentiora, uti per exempla fuisse declarat *Lancicius* t. 1. opusc. 3., & ex eo *Gob* in Exp. t. 7. n. 509. Hoc supposito, dicendum est, quoddam quando deliberatè committitur imperfectio, communiter subsit peccatum, puta sensualitatis, curiositatis, impatientiæ, acediae vel negligentiae alicujus culpabilis, maxime in sententia eorum, qui dicunt non dari actus morales indifferentes in individuo, uti notant *Lugo* de Pœn. d. 16. n. 102. & *Gob*. n. 510.

§. 3. Judicârunt viri docti, non tantum esse imperfectionem, sed esse peccatum veniale, si sine causa omittatur oratio mane & vesperi, item ante & post mensam, quia recta ratio videtur dictare, quoddam mane actiones nostræ dirigendæ sint ad Deum, post accepta autem beneficia sint agenda gratiæ, & ideo homines pii se accusent, si ita neglexerint, ergo signum est in tali negligentia inesse aliquid peccati. Sed ex hoc,

N 4

quodd

quod se aliqui accusent, nihil concluditur, nam multi se acculant de meris imperfectionibus: deinde non potest ostendi lex ista imperiosa, & pari enim dicam esse peccatum non orare ante & post scholas, iusum, ambulationem & quodvis aliud à Deo acceptum donum vel beneficium.

314. Q. 36. An & quale sit peccatum, si Religiosus Regulas sui Ordinis non observet. R. Quamvis nulla ejusmodi Regula obliget sub culpa, tamen propositum nullam ejusmodi Regulam observandi esse peccatum mortale, docet *Eliz.*, sed negat *Suar.*, quorum rationes utrimque retuli l. 4. à n. 58. Quod autem Religiosus per tale propositum peccet saltem venialiter, videtur certum, quis cum teneatur tendere ad perfectionem secundum statum suum, quem maximè ex parte constituit observantia Regularum tunc statui propriarum, si has negligat, negligit media optima ad perfectionem sibi præstitutam, nec ullum dari potest prudens motivum habendi tale propositum: imò docet *Dicast.* de Pœn. d. 9. n. 298., & doctè probat *Less.* in auct. v. Societati JESU cas. 1., singulas Regulas cujuscunque Ordinis vix posse violari sine peccato, quia in se est saltem deordinatio, inquit *Suar.* de relig. t. 4. l. 1. c. 3. n. 11., quod membrum communitatis non conformet se toti: & qui ita transgreditur, ordinariè nimium servit suæ sensualitati, vel impatiens est circa disciplinam, aut accidiosus, aut nimium tenax proprii judicii, aut intercurrit alia imperfectio, à recta ratione, & consequenter à lege æternæ Dei difformis.

## DUBIUM II.

*Quibus ex causis peccatum ex genere suo mortale  
per accidens fiat veniale.*

**R**esp. I. Tria requiruntur ad peccatum mor- 215.  
tale, quorum si unum deficit, fit veniale,  
quod aliàs ex se est mortale: 1. Ex parte intelle-  
ctus, plena advertentia & deliberatio. 2. Ex par-  
te voluntatis, perfectus consensus. 3. Gravitas  
materiæ, saltem ùe plurimùm. Ratio primæ &  
secundæ partis est, quia spectat à fragilitate hu-  
manâ, non videtur decere Divinam bonita-  
tem, æternis suppliciis punire hominem, absque  
plena consideratione & consensu. Ratio tertix  
partis, quia ubi materia parvi est momenti, ibi  
moraliter modica offensio esse reputatur, ùe  
plurimùm.

Resp. II. Peccatum ex genere suo mortale,  
tribus ex causis fieri potest veniale, ùe patet ex  
dictis. Prima est, si ex parte intellectus non sit  
perfecta advertentia malitiæ, seu deliberatio.  
Signa autem imperfectæ deliberationis sunt, 1.  
Si tenuiter, & quasi semidormiens apprehendi-  
ti esse malum. 2. Si pòst, ubi meliùs consideras,  
iudicas te non fuisse facturum, si ita apprehen-  
disses. 3. Si vehementissimâ passione, appre-  
hensione, vel distractione laborasti, vel turba-  
tus fuisti, ita ut ferè nesciveris, quid ageres.

Secunda causa est ex parte voluntatis, si non  
sit perfectus consensus: Signa autem imperfe-  
cti consensus sunt, 1. Si ita dispositus fueris,

N 5

ut

»ut licet facile potueris exequi peccatum, non  
 »tamen sis excusatus. 1. Si quis dubitet, num  
 »consenserit, præsertim si sit vir timoratus. 3. Si  
 »quis soleat ita esse affectus, ut malit mori, quam  
 »expressè mortaliter peccare, quia talis non fa-  
 »cile consentit. 4. Si quis valde timidè & sus-  
 »pensè processisse se meminit. 5. Si semisomnis  
 »fuit, non plene sui compos &c. judicètque se id  
 »non fuisse facturum, si plene vigilasset. V. Sanch.  
 »1. mor. cap. 10. Baldell. l. 10. d. 8.

» Tertia causa ex parte materiæ, si hæc sit parvi  
 »momenti: Quando autem talis sit, discernen-  
 »dum est morali judicio prudentis, cui sequen-  
 »tes regulæ servient: 1. Ut de materia judicetur,  
 »non tantùm ipsa secundùm se absolutè est con-  
 »sideranda, sed etiam respectivè ad finem inten-  
 »tum, ad quem si parùm facit, levis est, gravis  
 »autem, si multùm, ut docet Vasq. 1. 2. d. 158.  
 »2. Attendendæ sunt circumstantiæ, quia sæpe  
 »fit, ut res ex se levis, attentis circumstantiis boni  
 »communis, vitandi scandali, &c. fiat gravis. 3.  
 »An pars aliqua rei præceptæ sit gravis, ea spe-  
 »ctanda est tum absolutè & secundùm se, tum  
 »etiam in ordine ad totum. 4. In transgressioni-  
 »bus repetitis, si plures materiæ parvæ, vel secun-  
 »dùm se, vel secundùm effectus à se productos,  
 »moraliter conjungantur, fit materia gravis,  
 »quia tunc omnes moraliter reputantur pro u-  
 »na. Contrà verò non censetur materia gravis,  
 »si parvæ materiæ, nec secundùm se nec secun-  
 »dùm effectus relictos, inter se uniantur. Ex di-  
 »ctis resolves:

» I. Peccas mortaliter, ita ut fiat materia gra-  
 »vis, si sæpe modicum furaris, & non restituas,

juxta

juxta dicta l. 5. t. 5. c. 1. d. 3. casu 1. item si inter-  
ruptim psalmos aliquot ex eodem officio omit-  
tas; si eodsm die jejunii sæpius parùm come-  
das, eodem festo sæpius parùm labores.

II. Non peccas graviter, si diversis festis mo-  
dicum labores; si quotidie in Quadragesima  
parùm comedas: Quod verum est, etiam si simul  
haberes propositum id faciendi, quia cum ista  
moraliter inter se non uniantur, singula sunt  
parva. V. Sanch. l. c.

III. Non peccat mortaliter, qui diversis die-  
bus violat votum quotidie, aut singulis diebus  
modicum quid orandi, vel parvam elemosy-  
nam dandi, si sit onus affixum diei, quia cum  
quotidie cujuscunque diei obligatio extingua-  
tur, materiæ illæ non continuantur. Quod ve-  
rum est, etsi proponat semper omittere, quia il-  
lud propositum non fertur in rem gravem, imò  
contra Sanch. id quidam verum putant, etsi quis  
100. vota diversæ speciei, in materiis valde le-  
vibus, uno die implenda haberet, quis materiæ  
illæ, cum sint independentes à se, non uniantur.  
Si tamen similia vota non sint onus affixum di-  
ei, sed tantùm dies præfigatur, ut terminus, ul-  
tra quem executio non differatur, erit pecca-  
tum mortale, postquam ad materiam notabi-  
lem perventum fuerit.

IV. Probabile est eum, qui ter & quater 1000.  
aureos in causas pias vovisset, non peccaturum  
mortaliter, si tres non solveret, quia etsi talis  
pars, absolutè in se spectata sit notabilis, com-  
paratione tamen totius, morali judicio non val-  
de videtur æstimanda. V. Laym l. 1. s. 3. cap. 5.

## A D D E N D A.

216. Q. 37. Quid præterea notandum sit circa defectum perfectæ advertentiæ vel perfecti consensûs. R. seqq. §. 1. Ad peccatum requiri advertentiã ad legem Dei & ad malitiã objectivã, dictum est à n. 15. Hic addimus ad peccatum mortale requiri plenã & perfectã advertentiã ad malitiã gravem objecti, quam sententiã docet S. Thom. 1. 2. q. 88. a. 2. O. Ex parte agentis contingit, quòd aliquod peccatum, quod ex suo genere est mortale, sit veniale, propter hoc scilicet, quòd actus est imperfectus, idest, non deliberatus ratione: certum autem est S. Thomam per deliberationem rationis intelligere plenã advertentiã, uti patebit legenti q. 74. a. 3. ad 3. item a. 6. & a. 10. O. Hinc de verit. q. 15. a. 4. ad 10. se explicat his verbis, cum percipit homo totaliter: Similiter l. 3. ad Annib. dist. 39. q. 1. a. 1. ad 1. & 2. requirit ad perjurium, ut fiat cum plena deliberatione. Sequuntur expressè Gers. in comp. Theol. tit. de delect §. Ut inadvertens. S. Bonav. in 3. l. 3. d. 39. a. 1. q. 3. Alens. p. 2. q. 125. memb. 11. Sylv. v. Delectatio n. 2. Scotus in 3. dist. 39. q. un. n. 3. & 4. P. Sor. l. 9. De pecc. delect. Tapia In Caten. t. 1. l. 3. q. 17. a. 4. n. 4. & 6. Alv. 1. 2. d. 144. n. 3. Loth t. 16. q. 2. a. 4. Bellarm. De amiss. grat. l. 1. c. 3. Curiel 1. 2. q. 74. a. 8. d. 1. §. 2. Caspens De pecc. d. 3. f. 3. n. 21. Cordub. l. 1. q. 23. d. 9. opin. 5. Sylv. 1. 2. q. 74. a. 8. concl. 1. Abell. De pecc. f. 3. n. 4. Cruz 6. præcept. a. 9. VVigg. 1. 2. q. 88. n. 42. Mald. 1. 2. q. 74. a. 10. Serra 1. 2. q. 74. a. 8. d. 3. Bonac. De pecc. q. 2. p. 3. n. 3. Duvall. De pecc. q. 5. a. 4. Isamb. De pecc.

q. 74

q. 74. d. 5. a. 3. *Victor. Relect.* 13. p. 1. n. 6. *Sayr.*  
 1. 8. c. 7. d. 1. *Petr. à S. Jos. Th. mor.* l. 2. c. 5. R.  
 5. *Mastr.* In mor. d. 15. q. 1. a. 2. n. 12. *Urb. ab A-*  
*scens.* In mor. t. 1. c. 16. *Ovied.* 1. 2. t. 4. *Contr.* 1.  
*Bona-sp.* De act. hum. d. 9. d. 3. & d. 10. d. 4. *Boss.*  
 p. 3. r. 1. §. 56. n. 2151. *Trull.* In Decal. l. 6. c. 1.  
 d. 13. *Zecch.* In mor. c. 4. nu. 4. *Roffel* c. 44. nu.  
 19. *Bass.* v. peccatum 1. n. 6. & v. delectatio n. 6. *De*  
*Cocq.* De pecc. l. 10. *Martin.* t. 2. d. 18. nu. 38.  
*Mirat.* De pecc. d. 7. f. 8. *Herinx* p. 2. d. 7. q. 5.  
*Philip.* t. 2. tr. 2. d. 8. d. 4. *Steph.* t. 1. d. 1. d. 4.  
 n. 27. & d. 2. n. 7. & d. 7. n. 49. *Sporer* in mor. p.  
 1. t. 1. c. 5. f. 2. n. 12. *Tabern.* p. 1. t. 3. c. 1. q. 2. &  
 c. 6. q. 5. alique innumeri: verba autem Aucto-  
 rum citatorum videri possunt etiam apud *Vin-*  
*dicem Tabernæ* in *Collect.* ad prop. 3. Ratio au-  
 tem est, 1. Quia sicuti si gravitas malitiæ obje-  
 ctivæ nullo modo sit cognita, etiam nullo modo  
 est volita, quia nihil est volitum nisi cognitum,  
 ita si non sit plenè cognita, etiam non est plenè  
 volita, cum volitio sequatur modum cognitio-  
 nis, ergo nec poterit in actum refundere mali-  
 tiam formalem gravem. 2. In negotiis & con-  
 tractibus magni momenti inter homines requi-  
 ritur plena advertentia ad obligationes & onera  
 ex eis sequentia, alioquin si homo non præco-  
 gnoverit, non censetur his subjacere, ergo mul-  
 tò magis in negotio salutis, ubi agitur de per-  
 denda vel retinenda Dei amicitia, de incurren-  
 dis vel declinandis pœnis æternis, requiretur  
 plena advertentia: hinc rectè cum aliis docet *O-*  
*viedo* suprà n. 30. Deum non posse velle, ut  
 transgressio alicujus præcepti, si fiat cum semi-  
 plena tantùm advertentia, sit mortale, quia nul-  
 lum



lum præceptum strictius obligat, quam de non odiendo Deo & tamen est tantum veniale semiplenè advertenter odisse Deum. Ratio à priori est, quia Deus non potest facere, ut notabilis defectus advertentiæ non minuat notabiliter libertatem, adeoque & malitiam, ergo nec potest facere, & consequenter etiam non potest velle, ut mortale defectu plenæ advertentiæ non fiat veniale.

§. 1. Ex eadem ratione dicendum est ad mortale requiri consensum plenum & plenè deliberatum, si enim non adsit plena libertas, nimis durum foret hominem ideo fieri hostem Dei & subjacere pœnis æternis.

*Obji.* Potest quis per actum bonum semideliberatum mereri cœlum, ergo etiam per actum malum semideliberatum mereri infernum; adeoque peccare mortaliter. R. Dato ant. n. consequ. quia Deus prior est ad præmiandum ex liberalitate, quàm ad puniendum ex vindicta, & quamvis ipsi sit liberum præmiare etiam ultra condignitatem operis, tamen non est liberum punire supra demeritum peccati.

218. §. 3. Si quid fiat cum semiplena tantum advertentia ad malitiam gravem, vel cum semipleno tantum consensu in illam, est veniale, ut habet communis & certa sententia contra aliquos, quibus favet J. Sanch. in select. d. 18., qui dicunt actionem cum semiplena tantum advertentia malitiæ gravis factam, vel nullum esse peccatum, vel esse mortale; sed contrà est, quia sic operans re ipsa advertit & vult malitiam, ergo peccat non mortaliter, ut dictum est n. 216. ergo tantum venialiter.

*Obji.*

*Obji. 1.* Sic peccatus est moraliter veluti semihomo tantum, Deus autem non ponit præcepta sem homini, sed integro, & habenti dominium suorum actuum. *2.* Si semiadvertentia ad malitiam gravem excuset à mortali, ergo semiadvertentia ad malitiam levem planè excusabit etiam à veniali. *3.* Semiadvertens potest & debet habere advertentiam, ergo si non habet, peccat graviter, ita I. Sanchez Bz. Ad 1. Deus homini integro ponit præcepta graviter obligantia, semihomini leviter obligantia, sive homini simpliciter ponit præcepta, qui si sit plenè advertens, obligatur graviter, si semiadvertens, obligatur leviter. Ad 1. n. seq. Semiadvertentia ad mortale non relinquit totam advertentiam, adeoque nec totam libertatem ad mortale, ergo nec relinquit culpam mortalem; semiadvertentia ad veniale relinquit aliquam culpam, hoc ipso tamen reddit eam adhuc minorem, quàm fuisset cum pleniore advertentia. Ad 3. Cum semiplena advertentia ad malitiam gravem etiam est tantum semiplena advertentia ad obligationem plenius advertendi, neque in illis circumstantiis est potentia proxima ad plenioris advertentiam, ut rectè Amicus d. 17. n. 173.

*Inst.* Talis homo potest abstinere à peccato secundum se gravi, ergo peccat graviter, quod non abstinat. Bz. Potest abstinere à peccato secundum se gravi, & plenè cognito tanquam gravi, n., & semiplenè tantum cognito tanquam gravi, c. ant. & n. conseq., ubi enim est tantum talis cognitio, non satis vivo modo repræsentans gravitatem objecti, sed cum quadam confusione & veluti in semisomno, vel cum distra-

tione

ctione nimia ad alia objecta, vel cum quadam stupiditate mentis, ut est in rudibus & semifaruis, nunquam adest perfectio libertatis ad mortale requisita. Ex dictis,

219. §. 4. Inferuntur seqq., 1. Si quis, etiam per totum diem sentiat in corpore inordinatam delectationem, sed non advertat ad ejus malitiam; vel si advertat malitiam, si eam delectationem invitus habeat, nullo modo peccat, quia si non advertat, est ac si invincibiliter ignoraret, ignorantia autem invincibilis excusat, uti constat ex dictis l. 1. à n. 734. Quod si invitus sentiat delectationem, non est voluta nec voluntaria, ergo nec imputabilis ad culpam, uti dictam est hic à n. 13.

220. 2. Motus primò primi, prævenientes omnem advertentiam & libertatem, nullo modo sunt peccatum; & tales motus sunt, qui subitò incoGITANTER obveniunt homini, v. g. dum videt hostem suum vel mulierem aliquam. Motus secundò primi, prævenientes perfectam deliberationem, non possunt esse nisi veniale. Motus secundò secundi seu absolutè secundi, qui fiunt cum plena advertentia & deliberatione, sunt mortale vel veniale, prout est objectum, rectè autem notant *S. Thom.* 1. 2. q. 74. a. 7. ad 4. & *Suar.* d. 5. f. 7. n. 16. ad deliberationem perfectam saltem in nobis, requiri aliquod tempus, quamvis postmodum consensus fieri possit veluti in instanti.

221. 3. In pueris, semiebriis & semisopitis communiter est tantum semiplena advertentia, vel saltem non est consensus plenè deliberatus, idèoque communiter est tantum veniale; quod

maxi-

maximè valet, dum quis primum evigilat à somno, quia ordinariè non tam citò est plenus usus rationis. An peccetur in somno, dictum est n. 65.

4. Mortalia etiam fieri possunt cum ignorantia aliqua malitiæ gravis, si nempe ignorantia sit affectata vel crassa, aut si quis operetur cum dubio, an malitia sit gravis an levis, semper enim in his est aliqua ignorantia, & tamen peccatur mortaliter, quia sic operans vult, saltem interpretativè, vel se exponit periculo proximo contrahendæ malitiæ gravis, ergo peccat mortaliter. 222.

5. Ad peccatum, etiam mortale, non requiritur reflexa advertentia, id est, non requiritur, ut advertam me advertere, uti rectè *Aversa* q. 74. l. 3., sed sufficit cognitio directæ, quâ reipsa cognoscam malitiam, & postea eam velim. Neque requiritur cognitio malitiæ formalis ipsius actûs, sed sufficit cognitio malitiæ objectivæ, quam quis vult, uti rectè *Oviedo* p. 5.; vide tamen dicta l. 1. à n. 34. Hæc autem malitia objectiva tunc sufficienter cognoscitur esse gravis, quando advertitur esse inductiva odii vel inimicitiz Dei aut pœnz æternæ; Item quando operans quasi horret & apprehendit, ad eum modum, quo solet alias materias graves, quando se ad eas reflectit. 223.

6. Peccata inadvertentiæ dicuntur, quando neglecta est advertentia debita, sive quando cognoscebatur periculum peccandi & obligatio magis advertendi, & tamen hæc advertentia major est neglecta, qualis cognitio & negligentia sæpe adest, licet homo postea non recorderetur eam adfuisse; quod inde fit, quia ubi non ad-

est expressa cognitio volitionis habitæ, non relinquuntur species rememorativæ illius, cum species rememorativæ fiat species cognitionum habitarum circa objecta, uti probabilis docetur in animastica, hinc ab hominibus sæpe committuntur talia peccata inadvertentiæ; etiam mortalia, quamvis postea non recordentur, & per accidens non possint se de illis accusare in specie, & ob hoc dicit *Apost. 1. ad Corinth. 4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum: Et David ps. 18. v. 13. petit mundari ab occultis, Oviedo n. 55. Compt. d. 104. l. 4. n. 6.*

225. 7. Etiam multa mortalia fiunt cum passione, uti patet in peccatis iræ & luxuriæ, quæ in tantum sunt minus gravia, quantum passio minuit libertatem. Similiter potest peccari mortaliter ex metu gravi, quamvis enim tunc adsit aliquid involuntarii, tamen actio est simpliciter voluntaria, & aliqui dicunt illam involuntarietatem esse in alio actu concomitante, quo velle abesse metum, & consequenter omittere actionem, ad quam urget metus.

226. Q. 38. Quid judicari debeat in dubio de plena advertentia vel de pleno consensu. R. Qui timoratur conscientiam, nec solet plenè advertens consentire, potest in dubio credere se non plenè consensisse, quia ex communiter contingentibus est prudens præsumptio, uti communiter notant Auctores, quos retuli l. 1. n. 546., nullam addentes præterea conjecturam; quæ licet opus non sit, tamen, quod dictum est, maxime valet, si præterea accedat una ex conjecturis, quæ ibidem dedimus à n. 547. Etiam utile erit considerare doctrinam, quam tradit *Christoph. Scot.*

ver Theol. Ascet. p. 1. f. 6. c. 6. n. 6., his verbis:  
 1. Objecti peccaminosi representatio facta sensibus ex-  
 ternis, internis, rationi &c. peccatum non est. 2. Mo-  
 tus sensualitatis representationem consequens & ratio-  
 nem praeveniens nec ipse peccatum est, cum sit naturalis  
 & ex fomite contra voluntatem, vel sine ea produca-  
 tur. 3. Delectatio deinde motui naturaliter conjuncta,  
 secumque ex consensu ante omnem deliberationem tra-  
 hens partem inferiorem rationis ac voluntatis, nec ipsa  
 peccatum est. Quod si superior ratio primum motum  
 occupet, meritum magnum acquiritur: si non potuerit,  
 & advertens suggestionem motumque, statim resistat,  
 actibus contrariis saltem virtualibus elicitis, adhuc  
 merito locus est. Si verò ratio superior hæreat nonnihil,  
 primisque suggestionibus non resistat, cum tamen possit,  
 tum in peccati territorium intratur, & siquidem ratio  
 attentione alterius rei occupata impediatur, dicitur de-  
 lectatio subreptitia, nec defectu advertentiæ levem cul-  
 pam excedere potest: sed hæc diu durare non silet, cum  
 rationem exeat suo objecto. Si verò advertat suggestio-  
 nem, neque tamen contra eam statim insurgat, sed pi-  
 gritiâ & corpore sinat motum illum aliquâ temporis  
 morâ extendi, licet nondum deliberationem aut con-  
 sensum elicerit, tum peccatum veniale delectationis  
 committitur, majus minusve, pro modo delectationis  
 & negligentiae. Quod si post ejusmodi delectationem  
 non resistatur, sequitur consensus sive peccatum: qui si  
 adhuc ex vehementi impulsione deliberationem plenam  
 præcedat, hacque superveniente ratio resistat rejiciatque  
 motum, tum quidem censendum est necdum peccari  
 mortaliter, etsi proximè accedatur. Cum verò plenâ  
 deliberatione, actu vel virtute, habitâ, consensus jun-  
 gitur, jam non dubitari amplius potest de peccato mor-  
 tali, si gravis sit, sive deinde in ipsum opus tendat, sive

in illicitam delectationem tantum cogitatione sumptam, sive in neutrum expressè tendendo, sensui oblectationem, quam advertit, sine alia deliberatione etiam & resistantia permittat, hoc enim casu potest & debet resistere, & non facit, adeoque virtualiter consentit. Præterea id etiam advertendum est, dæmonem atque sensum tentationes inspicere sub enunciatione significante consensum, volo hoc facere &c. cum tamen longissimè absit voluntas consensûs, qui neutiquam ex incidentibus verbis, sed vero suo proprio actu dijudicandus est.

227. Q. 39. Quomodo peccet, advertens actionem suam esse peccatum, sed non cogitans, an sit mortale an veniale. R. Hoc resolutum est l. 1. à n. 1.

228. Q. 40. Quomodo peccet, advertens actionem suam esse mortale, sed abstrahens, quale & cuius speciei sit. R. S. Thom. 1. 2. q. 19. a. 5. ad 3. dicit nunquam ita abstrahi, sed semper cognosci malum in certa specie: Idem dicunt Vasq. & alii cum Merat. d. 7. s. 7. , sed dato supposito, dicendum est peccare mortaliter, peccato speciei innominatæ, quæ opponitur honestati actûs, quo quis velle non peccare mortaliter, Oviedo in 1. 2. t. 4. controv. 1. p. 3. Vide dicta hic n. 21. inf. 1. & 2.

229. Q. 41. Quomodo peccet, qui deliberat, an velit in mortale consentire. R. Si faciat plenè advertenter, peccat mortaliter, quia voluntas sic hærens, re ipsa appretiat peccatum cum Deo, sicuti enim dubitans in fide, ideo peccat mortaliter, quia hæret, velitne plus tribuere authoritati Dei revelantis, an iudicio suo vel apparentiæ rationis in oppositum, ita multò magis hic, quando hæret, an præferre velit Deum an peccatum. 2. Saltem per hoc se exponit periculo proximo consenti

sensus in tale peccatum, ergo peccat, & quidem peccato ejus speciei, cujus est illud, de quo deliberat, ideoque tenetur in Confessione dicere, se ita deliberasse circa tale peccatum, quamvis postea non consenserit in illud, *Sanch. in Decal. l. 1. c. 1. n. 16. Herimx d. 7. n. 42. & alii.*

Q. 42. *Quandonam mortale fiat veniale defectu materiae.* R. Quæstio resolvi non potest, nisi prius sciatur, quænam materia censeatur gravis vel levis; Deinde, unde in praxi colligamus, an materia sit gravis vel levis; præterea an materia levis possit substare gravi obligationi: his intellectis facile erit concludere, quomodo mortale fiat veniale defectu materiae. 230.

§. 1. Pro regula generali, ex qua sciatur, quænam materia dici debeat gravis vel levis, valde laborant AA. Hinc 1. aliqui apud *Opied. hic controv. 3. n. 141.* putant hoc esse desumendum ex respectu partis ad totum, dicuntque materiam illam esse gravem, quæ est tertia pars illius totius, quod à lege imperatur, quod autem est minus, esse levem. Hæc regula tenet in aliquibus, sed fallit in plurimis, nam tertium Nocturnum non est tertia pars Matutini dominicalis, labor servilis per 7. horas die festo non est tertia pars diei naturalis, & tamen utrumque est materia gravis. E contra duo psalmi sunt plus quam tertia pars Nonæ, & tamen sunt materia levis. 2. *Casparus* dicit octavam partem totius esse materiã notabilem, & quod est minus, esse materiam levem, quia, inquit, omne totum tam physicum quam morale secundum intensionem censeatur constare octo partibus, hinc quando significamus aliquid summum, dicimus, ut octo, v. g. O 3 ignis



ignis est calidus ut octo, homo est probus ut octo, ergo quod est pars octava totius, est aliquid notabile in toto, & quod non est pars octava, non est aliquid notabile, quia non est simpliciter pars, sed tantum pars partis. Haec regulam optimè confutat *Carden* in 1. crisi d. 31., nam si vera est, ergo qui tenetur ad 7. psalmos poenitentiales, si omittat unicum, peccat mortaliter, quia omittit plus, quam octavam partem: E contra qui legit 10. folia libri haeretici, si liber constat 100. foliis, non peccat mortaliter, quia legit minus, quam octavam partem: Item qui debet 100. ducatos, & subducit 10., non peccat mortaliter, quia subducit minus, quam octavam partem. Similia certò falsa deduci possunt in plurimis aliis materiis.

231. §. 2. Ut sciatur, an materia sit gravis vel levis, debet hæc spectari etiam absolutè, & non præcisè ex respectu ad totum, ac considerari, an in se, etiam spectatis omnibus circumstantiis, sit aliquid notabile necne, uti notant AA. communiter cum *Oried* n. 143., sic quamvis communis sententia habeat, quòd ad peccandum mortaliter in materia M. s. die festo, requiratur ommissio totius partis circiter, tamen in hoc attendi debet etiam ad partes secundum se, quòd enim partes sunt nobiliores, sed minus debet omitti, hinc qui tempore tantum utriusque Consecrationis absente à Missa, non audiret Missam, uti dictum est l. 3. p. 1. n. 667., quamvis utraque Consecratio quoad durationem, nequidem sit pars vigesima Missæ; & idem est de similibus.

232. §. 3. Aliquid esse vel non esse in se notabile, & consequenter esse materiam gravem vel levem

colligimus ex uno horum, 1. Ex repugnantia, quam habet cum natura rationali, quæ repugnantia, an sit gravis an levis, communi prudentum judicio est determinandum. 2. Ex repugnantia gravi vel levi cum charitate in Deum, proximum vel seipsum. 3. Ex Scriptura, quæ materiam gravem sæpe denotat, addendo illi comminationem mortis & damnationis æternæ. Item vix illi, qui facit. 4. Ex verbis legis, quæ sæpe exprimit obligationem gravem. 5. Ex auctoritate Ecclesiæ vel SS. PP., qui dicunt esse vel non esse obligationem gravem, spectat enim ad Dei providentiam, ut in talibus ad salutem pertinentibus non permittat errare Ecclesiam & commones ejus DD. 6. Ex communi sensu Theologorum. cui temerarium est se opponere, nisi ratio evidens cogat. 7. Ex sensu communi hominum timoratorum, etiam simplicium, inquit *Herinx* n. 46., præcipuè quando agitur de jure naturæ, quod hi cordibus suis inscriptum habent, & spiritu Dei aguntur, ut secundùm illud judicent & agant. 8. Ex fine legis vel legislatoris, si enim hic sit magni momenti, & materia aliqua multùm conducat ad illum, erit materia gravis; si leviter conducat, aut si finis ipse levis non sit magni momenti, materia erit levis. Vide *Castrop.* tr. 2. d. 1. p. 7. n. 4.

§. 4. Materia absolutè levis non substat obligationi gravi, potest tamen materia de se gravis substatere obligationi levi. Vide hoc utrumque probatum l. 1. n. 267. & 268.

§. 5. Mortale fit veniale defectu materiæ, si materia peccati sit quidem ex objecto gravis, id est, secundùm se capax obligationis sub mortali,

li, quando adest notabilis quantitas illius, quia autem hic & nunc non est nisi parva quantitas illius materiz, hinc est veniale. Ratio patet, si enim materia levis non substat obligationi gravi, ut in 233. notatum est, hoc ipso, quod materia sit levis ob defectum quantitatis requisitæ ad mortale, jam fiet veniale: Pro exemplis autem servantur dicta n. 204., ubi egimus de peccatis ex genere suo mortalibus, quæ præter materiam ex objecto gravem requirunt quantitatem notabilem. Vide etiam dicta l. 1. à n. 669.

235. Q. 43. An ex aliis etiam causis possit peccatum mortale fieri veniale. R. Affirmative, 1. Si lex, quæ prius obligabat graviter, postea obligat tantum leviter, vel ex voluntate legislatoris, vel ex mutatione legis per consuetudinem aut interpretationem secundum diversitatem circumstantiarum. 2. Ob diversum dictamen conscientiz, secundum quod aliquid prius censebatur graviter obligare, postea autem prudenter censetur obligare tantum leviter, de quo satis dictum est l. 1. De conscientia. An autem idem physicè actus, qui nunc est peccatum mortale, possit fieri peccatum veniale, Item an mortale possit à Deo remitti quoad jus ad gravem indignationem, reservato jure ad indignationem levem, sunt quaestiones speculativæ.

Unicum hoc dubium restat decidendum, an aliqua transgressio de se mortalis fiat venialis, eò quod committatur subito vel transeuntes, quamvis cum plena advertentia & plenè libero consensu. Videtur affirmare auctor l. belli in Gallia impressi Anno 1700. sub titulo, *Theologia moralis S. Augustini*, nam docet habitum charitatis

tatis predominantem, & consequenter gratiam manere, quamdiu nullum peccatum mortale habitualiter, fixè & permanentè in anima prædominatur, licèt aliquis ex metu, cum renitentia, ex violenta tentatione vel passione per modum transeuntis consentiat in opus de se graviter malum, si statim pòst illi summè displiceat; id quòd tum censeatur in fundo animæ habitualiter permanere idem status charitatis prædominantis. Sed doctrina illa est falsissima, alioquin sic excusabuntur sæpissime deliberata dubia in fide, blasphemix, detractiones, delectationes & desideria turpissima, possunt enim hæc peccata mortalia committi ab homine justo, vel ex metu, uti fecit S. Petrus; vel cum renitentia, uti faciunt, quos remordet conscientia; vel ex ardore concupiscentiæ &c.; & licèt statim pòst summè displiceant, certum tamen est fuisse mortalia, cum peccatum mortale possit in momento admitti, nec dubium est, quin statim immoriens tali peccato, esset æternum damnandus.

## DUBIUM III.

*Quibus modis peccatum ex genere suo veniale, aut actus indifferens, transeat per accidens in mortale.*

Quinque modis id fieri communiter, docet Sanch. &c. 1. Ratione finis adjuncti. 2. Ratione finis ultimi. 3. Ratione contemptus. 4. Ratione scandali. 5. Ratione periculi. De singulis dicam breviter.

O s

Resp.

» Resp. I. Peccatum veniale transit in mortale, ratione finis adjuncti; ut si quis leviter mentiatur ad copulam carnalem extorquendam: quia cum finis mortalis amittitur, mortale est: Non tamen necessarium est in Confessione exprimerere illud mendacium, sed solum desiderium fornicationis, quia seclusa malitia mortali finis, manet veniale.

» Resp. II. Transit item in mortale ratione nimii affectus in rem aliquam, ut si v. g. ultimum finem in ea constituas. Ad quod non sufficit valde intensè & vehementer ferri in objectum; sed requiritur, ut appetitativè illud ita aestimet, saltem virtualiter, ut paratus sit ejus causâ transgredi præceptum obligans sub mortali: ut si quis ita inordinatè afficiatur ad fabulas, lusus, personam, ut malit festo emittere Sacrum, &c. quàm illis privari. Notat autem Bon. hunc affectum, non tantùm habitualem, sed actualem esse debere, ut peccatum contrahatur, quia non imputatur ad culpam id, ad quod committendum, habitu tantùm es paratus.

» Resp. III. Peccatum veniale fit mortale, ratione contemptus absoluti & formalis.

» Dico autem, contemptum absolutum & formalem, quando nimirum ideo formaliter & absolute præceptum violatur, quia ipsi, aut Superiori subjici renuis, quod est peccatum superbix consummata; vel quando ideo non vis obedi- re præcepto, quia præceptum est, & est peccatum inobedientix formalis, quorum utrumque graviter pugnat cum charitate debita Superiori. Ex quibus resolves:

» I. Non est mortale, si velis quidem obedire

& subijci absolutè, nolis tamè hìc & nunc in re<sup>30</sup>  
modica; aut si auctoritatem legis, vel præcipi-<sup>30</sup>  
entis admittas, executionem tamen hìc & nunc<sup>30</sup>  
contemnas. Ratio, quia non est contemptus<sup>30</sup>  
absolutus & simpliciter, sed tantùm secundùm<sup>30</sup>  
quid.

II. Si præcisè ex indignatione, malitia, prava<sup>30</sup>  
consuetudine, aliave causa, præceptum viole-<sup>30</sup>  
tur, & non ex contemptu potestatis Superioris,<sup>30</sup>  
non est mortale; quia non est contemptus for-<sup>30</sup>  
malis, sed tantùm interpretativus.

III. Est mortale, facere vel omittere aliquid<sup>30</sup>  
ex contemptu justæ legis humanæ; item ex con-<sup>30</sup>  
temptu Dei præcipientis, vel etiam consulentis<sup>30</sup>  
(quod præterea tacitam blasphemiam continet,<sup>30</sup>  
quasi Deus inutilia præciperet aut consuleret;)<sup>30</sup>  
& denique facere aliquid ex contemptu Prælati<sup>30</sup>  
ut sic, & ut à Deo auctoritatem habentis; non<sup>30</sup>  
tamen ut talis hominis, indocti, imprudentis,<sup>30</sup>  
imperfecti: quia hoc posterius, non est contem-<sup>30</sup>  
nere absolutè & simpliciter, sed tantùm secun-<sup>30</sup>  
dùm quid. *Vid. Sanch. 1. mor. c. 5. Bon. de peccat. d. 29*  
*2 q. 3. p. 5.*

Resp. IV. Peccatum, vel opus indifferens, ha-<sup>30</sup>  
bens mali speciem, transit per accidens in mor-<sup>30</sup>  
tale, si ruina per illud proximo causanda fit<sup>30</sup>  
mortalis. Ratio; quia tali operi superadditur<sup>30</sup>  
aliquid graviter repugnans charitati. *V. dicta de*<sup>30</sup>  
*scandalo & Fill. t. 11. n. 252.*

Resp. V. Veniale, vel opus indifferens, transit<sup>30</sup>  
in mortale, ratione periculi incidendi in mor-<sup>30</sup>  
tale, quando quis sine sufficienti cautela aut<sup>30</sup>  
necessitate aliquid facit, per quod veniat in<sup>30</sup>  
mortale, ac proximum periculum peccandi<sup>30</sup>  
mor-

»mortaliter: quia talis salutem animæ contem-  
 »nit, cum tam probabili ejus periculo temere  
 »se exponat. Unde in Confessione explicanda est  
 »species peccati, cujus periculo se objecit, quia  
 »eodem genere peccati peccavit. Proximum au-  
 »tem periculum censetur, quod frequenter ho-  
 »mines similis conditionis in peccatum mortale  
 »inducit.

## A D D E N D A.

237. Q. 44. Quid præterea notandum circa contemptum,  
 & seqq.

§. 1. Contemptus, in genere, est vilis æstima-  
 tio rei, quam si res mereatur, contemptus non  
 erit reprehensibilis, sic enim rectè contemimus  
 divitias in comparatione cum virtute; si verò  
 res non mereatur vilem suæ æstimationem, erit  
 contemptus imprudens, & de illo hic agitur.  
 Potest autem esse duplex, vel materialis, quem  
 alii vocant virtualem, vel formalis. Tunc est  
 materialis, si quid re ipsa vilipendatur, v. g. si  
 postponatur alteri, cui deberet præferri, ita ta-  
 men, ut directè non intendatur illa vilipensio  
 seu postpositio; & talis contemptus Dei reperit-  
 tur in omni peccato mortali. Tunc est formalis,  
 si vilipendatur, directè intendendo illam vili-  
 pensionem.

238. §. 2. Potest aliquid fieri ex contemptu, vel  
 negativè vel positivè, tunc negativè agitur ex  
 contemptu, si voluntariè negligatur iusta æsti-  
 matio, quæ si adesset, non fieret aliquid, & tunc  
 propriè non agitur ex contemptu, sed potius  
 cum aliquo contemptu, quia contemptus non  
 influit positivè in actionem, sed habet se tantùm  
 negativè,

negativè, tanquam removens prohibens, id est, removet debitam æstimationem, quæ si adesset, prohiberetur actio, ergo contemptus formandæ debitæ æstimationis habet se tantùm negativè ad talem actionem. Tunc agitur positivè ex contemptu, si contemptus existat & moveat ad actionem, ita ut actio assumatur velut medium ad contemptum exerceadum vel ostendendum, & tunc propriè dicitur agi ex contemptu.

§. 3. Contemptus formalis potest esse vel in- 229.  
ternus tantùm vel simul externus: Internus tantùm, est iudicium, quo quis reputat alterum vilem, directè & exercitè saltem intendendo habere pro tali, totaque libertas & moralitas huius iudicii habetur ab actu voluntatis qui illum imperat vel in eum consentit, uti libertas & moralitas hærescos habetur ab actu voluntatis illam imperante vel in eam consentiente; atque ex illo iudicio & ista volitione fit unum, quod est contemptus internus, in genere moris completus & internè consummatus. Potest autem esse etiam alia volitio ponendi externam actionem, quæ ostendatur contemptus, & hæc secunda volitio dicitur contemptus affectivus, ex cuius imperio si ponatur actio talis externa, hic contemptus affectivus per hanc actionem completur in ratione contemptus externi. Quod si poneretur actio externa de se apta contemnere, v. g. risus, attamen sine hoc imperio voluntatis, sive, non eo fine, ut contemptus internus, qui tunc adest, exerceatur, hæc actio externa non denominaretur contemptus externus, quia non fieret ex contemptu formali, sed tantùm cum illo.



240. §. 4. Contemptus formalis Dei Legislatoris aut legis divinæ etiam minimæ, est mortale et toto genere, quia derogat supremæ potestati & authoritati Dei, quæ respectu omnium legum est eadem & semper infinitè digna æstimari; putatque *Oviedo* *controv.* 3. p. 5. n. 68. semper simul adesse errorem in fide & blasphemiam, quia sic contemnens iudicat, vel Deum æstimatione, vel legem Dei observatione esse indignam, quod est erroneum in fide & blasphemum: alii tamen apud *Herincx* d. 7. n. 63. putant posse aliquem practicè velle aliquid agere in despectum Dei, quamvis talem internum errorem non habeat, sicuti aliquis sine errore interno potest velle exercere actum externum idololatriæ.

241. *Obji.* Si mendacium ex contemptu Dei sit mortale, ergo idem peccatum est veniale & mortale, hoc autem implicat, quia veniale & mortale habent proprietates oppositas. *R.* *Oviedo* p. 7. n. 95. vult dici mortale tantum, quia malitia actus desumitur ex omnibus circumstantiis in & extrinsecis tanquam uno objecto adæquato, intra quod si sit aliquid grave, ratione illius actus dici debet absolutè mortalis. Etiam dici potest cum *Tann.* esse veniale & mortale positivè, id est, esse difforme legi uni leviter & alteri graviter obliganti, ideoque esse veniale respectu unius legis, & mortale respectu alterius; sed non est veniale aut mortale negativè, id est, non est difforme legi vel tantum leviter vel tantum graviter obliganti, hinc proprietates, quæ videntur oppositæ, debent explicari præcisè per respectum ad legem unam leviter & ad alteram graviter obligantem.

*Inst.* Implicat idem esse physicè leve & grave, parvum & magnum, ergo etiam implicat idem esse tale moraliter. *R.* 1. Quamvis idem non possit esse physicè leve & grave &c. absolute aut respectivè ad eandem rem, potest tamen esse tale respectivè ad diversa, nam tripodium est leve respectu centipondii, & est grave respectu semipondii; homo est parvus respectu turris, & est magnus respectu formicæ; tamen *R.* 2. n. conseq. Disparitas est, quòd esse physicè leve inferat negationem gravitatis; esse physicè parvum includat negationem majoris extensionis, eò quòd sit figura, nihil tale est in illo, quòd dicitur leve vel grave, parvum vel magnum moraliter, quia tantùm significat esse contra legem leviter obligantem, cum quo stat esse posse simul etiam contra aliam legem graviter obligantem, sicuti idem furem rei sacræ est contra legem justitiæ & religionis.

§. 5. Contemptus formalis humani legislatoris ut talis, idest, ut habentis potestatem legis ferendi; item contemptus formalis legis ut procedentis à tali potestate, est mortale ex toto genere, quia contemnitur homo ut vices Dei gerens, aut contemnitur lex hominis ut informata lege Dei, ergo hoc ipso contemnitur sapientia & autoritas Dei, à quo est omnis potestas legis ferendi & obligatio legis, quique ideo dicit *Luce 19. v. 16. Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit: sic autem contemnere sapientiam vel autoritatem Dei, semper est gravissima irreverentia, uti patet.*

§. 6. Contemptus formalis humani legislatoris, in quantum hic est persona privata, quæ judicatur

catur esse vilis, v. g. imprudens, malitiosa, passionata &c. potest esse vel nullum, vel veniale, vel etiam mortale peccatum, prout motiva sic judicandi erunt, vel absolute gravia, vel minde gravia, vel nulla. Ratio est, quia potest in homine legislatore esse tale aliquid contemptu dignum, unde sicuti iudicium circa malum proximi potest esse, vel prudens, vel leviter aut etiam graviter temerarium, ita etiam hic: & putant *Lessius De Just. l. 1. c. 46. n. 45. & Spov. in Th. mor. p. 1. t. 1. c. 7. n. 58.* plerumque fore mortale. Quod si hoc iudicium, quod de Legislatore humano habetur, manifestetur aliis, quamvis forte sit prudens & verum, adhuc facilius poterit peccari graviter, sicuti peccatur per detractionem, si iudicium de occulto adulterio alicujus manifestetur aliis; quod magis valet in nostro casu, quia est specialis obligatio cuique secundum statum & dignitatem suam prestandi reverentiam, contra quam specialiter peccat, qui exterius contemnit Superiorem.

*Obji.* Si homo contemnatur ut ferens legem imprudentem, contemnitur ut legislator, ergo vel hoc est semper mortale, vel dicendum est, non semper esse mortale, si contemnatur homo ut Legislator, ita *Arriaga. B.* Homo ut Legislator potest intelligi strictè, si nempe reduplicatio cadat super formam, quæ est potestas legislativa, ideoque faciat unum ex his sensibus, potestas legislativa hominis, homo & potestas legislativa, homo ratione potestatis legislative contemnitur. Potest etiam intelligi latè, & potius specificativè, si reduplicatio cadat super solum hominem, & non super potestatem legislativam, ideoque

NON

non faciat unum ex dictis sensibus, sed hunc, homo contemnitur, qui ideo est legislator, quia habet potestatem legislativam, & tum contemptus cadit super solum hominem, qui contemnitur propter imprudentiam vel aliam malitiam, non autem propter potestatem legislativam: si contemneretur ut legislator in primis sensibus, esset semper mortale, non autem in posteriore sensu.

§. 7. Contemptus formalis legis humanæ, 244  
secundum hoc, quod lex est ab homine, potest esse, vel nullum, vel veniale, aut mortale peccatum, quia cum Legislator humanus errare possit, iudicium de hoc, quod lex sit imprudens, malitiosa, vel injusta, poterit esse, vel prudens vel venialiter aut mortaliter temerarium, prout erunt motiva, ex quibus formatur; & hic valent eadem, quæ dicta sunt n. 243.

§. 8. Contemptus formalis materiæ quantumvis levissimè præceptæ à Deo, potest esse 245  
peccatum mortale vel veniale, nam si quis contemnat talem materiam veluti inutilem & vanam, est mortale ex toto genere, imò est error in fide & blasphemis, si iudicetur aut dicatur, Deum posse inutilia aut vana præcipere: Quod etiam valet de materiis consiliorum divinorum, uti rectè Oviedo n. 72., hoc ipso enim, quod sint consilia divina, sunt de meliori & majori bono. Si autem aliquis contemnat materiam levem, & 246  
ideo peccet, quia levis est, videtur peccare tantum venialiter, quia re ipsa est levis & vilis respectivè ad materiam gravem, & cum illo contemptu fiat iudicium, quod sit utilis ad salutem & meritò observari deberet; Item voluntas non contemnenda eam, si esset gravis, ideoque non

apparet, unde refunderetur malitia gravis in totalem contemptum.

347. §. 9. Contemptus formalis materię præceptę ab homine potest esse peccatum, vel leve, vel nullum, vel etiam mortale, quia erit leve, si ideo contemnam & peccem, quia est levis, uti dictum est n. 246. Item, si temerè judicem esse vanam & inutilem, non videtur esse plùs quàm veniale, cum hæc imprudentia, de qua Superiorem arguo, sit in re levi. Nullum erit peccatum, si habeam prudens motivum hoc judicandi, quod tamen rarissimè præsumi potest, cum possessio semper sit pro legislatore, qui causas aliunde iustas imperandi habere potest. Denique si materiam quantumvis levem contemnam, quia est materia hujus vel illius virtutis, v. g. si fabulas mihi à Superiore prohibitas exerceam ex formali contemptu honestatis, quæ est in virtute taciturnitatis, est mortale ex toto genere, quia graviter dissonat à natura rationali, ut contemnat honestas in se supernaturalis, quæ in se est participatio aliqua naturæ divinæ: atque hoc tenet materia cujuscumque virtutis. Ex dictis,

348. §. 10. Inferuntur seqq. 1. Peccatum formalis contemptus malè ab aliquibus confunditur cum peccato ex malitia vel ex consuetudine, nam ex malitia & consuetudine peccari potest tantum venialiter, etiam contra Deum: E contra potest esse formalis contemptus, quando peccatur ex passione & sine consuetudine.

349. 2. Peccatum contemptus etiam malè confunditur cum inobedientia formali, nam potest dari peccatum contemptus contra sola consilia, aut contra honestatem virtutis hęc & nunquam non ob-

obligantis, uti dictum est n. 245. & 247, Illa tamen inobedientia, quâ quis legem transgreditur ex motivo non obediendi, sive, quia non vult subjici potestati imperantis, vix erit sine contemptu, hinc post *S. Th.* docet *Cajet*, quod peccare ex contemptu duo importet, nempe actum peccati, & causam peccati, actum quidem, uti frangere silentium; causam, scilicet actum voluntatis renuentis subjici Regulæ: Rectè tamen notat *Eliz.* l. 3. q. 14. §. 2. nolle subjici legi vel Regulæ, esse re ipsa nolle eam servare, potest autem quis, etiam frequenter, eam violare, & ideo non peccare ex contemptu, quia nempe retinet voluntatem absolutè & universim eam observandi; sed si eam integram & universim servare nollet, etiam nollet subjici, & peccaret ex contemptu, saltem negativè, quod *Eliz.* putat sufficere ad peccatum contemptus. Docet autem *Rhod.* d. 1. q. 3. l. 4. §. 3. etiam talem inobedientiam formalem semper esse mortalem, quia nolle agnoscere potestatem à Deo constitutam, est se Dei auctoritati directè opponere, quod semper est mortale: Si tamen fieret tantum ex motivo non obediendi hic & nunc, sive nolendo se in hac re subjicere, de cætero agnoscendo potestatem imperantis, esset peccatum inobedientiæ formalis, mortale vel veniale, prout materia præcepti esset gravis vel levis.

1. Si transgrediar legem ex quadam amaritudine, v. g. ex hoc affectu, quia non volo imperantem afficere solatio, quod haberet, si lex observaretur, etiam non est propriè contemptus formalis, raro tamen aberit, ac semper est peccatum, & quidem erit mortale, si affectus ille sit circa Deum imperantem, nam vel est odium

P 2

Dsi,

Dei, vel est odio propinquum, & de se graviter disconvenit naturæ rationali, uti rectè *Ovied. n. 77.* Si autem affectus ille sit circa hominem imperantem, poterit esse veniale ex parvitate materiz, quia odium & displicentia circa hominem sæpe est venialis tantùm. Quòd si animus effectalis, ut diceret, jam nolo facere, quia ipse vult, ut faciam, omnino videtur adesse formalis contemptus Superioris, hinc erit mortale.

251. 4. Si contemptus sit circa Deum vel ejus præcepta, est peccatum contra religionem, quia religio Deo debita obligat exhibere honorem & non despiciere potestatem ejus legislativam: Si sit circa parentes, est contra pietatem: Si sit circa Superiores, est contra observantiam; non tamen est semper formaliter contra obedientiam, quia potest despici Superior, licet ejus præcepta non despiciantur: Si sit circa personas alias, est contra justitiam, quia ex justitia debetur cuilibet honor, reverentia & æstimatio juxta suum meritum, & ideo contemptus personæ non Superioris potest esse mortale vel veniale vel nullum peccatum, secundùm dicta n. 243.

252. Q. 45. Quid addendum sit circa obligationem vitandi pericula & occasiones peccandi. R. Seqq.

§. 1. Periculum peccati, est aliquid inclinans seu disponens ad peccatum. Hoc periculum potest esse proximum vel remotum: Proximum dicitur, quod habet frequentem conjunctionem cum peccato: Remotum, quod non habet frequentem conjunctionem cum peccato. Similiter occasio proxima dicitur, quæ homines simili conditionis frequenter inducit ad tale peccatum, vel de qua per experientiam constat, quòd in

in peccatum communiter inducat: Remota est, quæ quamvis aliquo modo inducat, tamen non habet frequentem conjunctionem cum peccato, uti AA. communiter cum Gob. in Exp. T. 7. n. 515. Notat autem rectè Lugo De Pœn. d. 14. n. 162. periculum vel occasionem non ideo dici proximam, quod inter ipsam & peccatum nihil mediet, plerumque enim mediat aliquid, v. g. tentatio, aspectus, alloquium &c., sed ideo dicitur proxima, quia inter ipsam & peccatum communiter nihil intervenit, quod impediat peccatum.

§. 2. Periculum aliud est absolutè proximum, aliud respectivè tantùm. Absolutè proximum est, cui ex natura sua convenit habere frequentem conjunctionem cum peccato, & ideo dicitur intrinsecè periculum, quia apud quemcumque hominem solet esse conjunctum cum peccato, sic deliberatus tactus pudendorum alienorum, cum mora aliqua & sine necessitate factus, censetur omni homini non conjugato esse periculum proximum peccati, saltem per delectationem turpem. Respectivè proximum est, cui ex varia conditione hominum convenit quandoque habere, & quandoque non habere frequentem conjunctionem cum peccato, ideoque dicitur extrinsecè periculum. Hoc periculum respectivum iterum est duplex, aliud, quod respectu plerorumque hominum est proximum, sæpe tamen est remotum respectu pauciorum, v. g. respectu hominum valde piorum aut valde cautorum; & tale periculum est fixus aspectus rei turpis. Aliud, quod respectu pauciorum hominum est proximum, & respectu plerorumque



est tantum remotum, & tale quid est colloquium cum muliere : In dubio autem, an aliquid huic vel illi homini sit periculum respectivè proximum, si consideratâ naturâ objecti & conditione personæ nihil certò determinari possit, dicendum est esse huic tale periculum, quale est plerisque, unde si plerisque est periculum proximum, censeri debet etiam huic esse, donec constet de ipsius firmitate per experientiam, in qua communiùs vincat. E contra si plerisque est remotum, debet etiam huic censeri esse tale, donec de ejus fragilitate constet etiam per experientiam, in qua, non unâ vel alterâ tantum vice, sed communiùs vincatur, ubi enim non constat de exceptione, standum est communi regulâ præsumptionis, quæ est ex communiter contingentibus, *Ovied. contro. 3. m. 148.*

§ 3. Periculum proximum, aliud est materiale, aliud formale; Materiale est, quod de se, secundum circumstantias suas extrinsecas, solet esse conjunctum cum peccato, quamvis non jungatur ob specialem conditionem subiecti. Formale est, quod hic & nunc considerat omnibus circumstantiis extrinsecis & intrinsecis solet esse conjunctum cum peccato; unde materiale periculum, est occasio externa, quæ secundum se solet esse conjuncta cum peccato; Formale, præter occasionem externam includit tales circumstantias, ut his omnibus consideratis existimetur hic & nunc fore conjunctum cum peccato, consequenter ut aliquid sit Titio occasio proxima peccandi, non est satis, quòd de se sit tale quid, ut alii in eadem constituti frequenter peccant, sed præter occasionem talem exter-

ternam requiritur, ut simul respectu Titii ad sit formale periculum peccandi, nam fieri potest, ut duo in eadem domo habitent, & conversentur cum eadem persona, quorum unus, quis ad ejusmodi peccatum pronus est, sit in occasione proxima, alter autem non, qui vix ad talia movetur, aut qui novit se contra tentationes munire.

§. 4. Periculum formale potest esse, vel certum, vel probabile, vel leve. Tunc est certum, quando quis firmiter sibi persuadet se in tali occasione peccaturum. Probabile est, quando non quidem ita firmiter, attamen ob prudens motivum merito credit & valde timet, ne cadat, v. g. quia occasio est valde alliciens, & ipse novit suam fragilitatem. Leve est, quando non putat quidem se peccaturum, timet tamen aliquo modo, seu suscipiatur, & fieri possit, ut caderet. Practicè loquendo putat *Gob. n. 527.*, eum, qui scit, si decies accedat tale consortium, se octies vel septies cadere, periculum illi esse moraliter certum; si autem ter aut quater solum cadat, esse periculum tantum probabile, (: quod etiam dicit *Caram.*, quamvis quinquies cadat, si etiam quinquies non cadat) si autem nunquam cadat, aut fortè semel, sed rarè, & potiùs veluti casu, erit periculum leve.

§. 5. Peccat graviter vel leviter, prout materia peccati fuerit gravis vel levis, qui se exponit periculo formali & certo peccandi formaliter, sive hoc periculum sit absolutè, sive respectivè proximum, uti tenent omnes, nec contrarium esse *Gobas in Quin. tr. 5. c. 45, n. 49.*, persuadere conatur *vindex illius, p. 2.*, ad prop. 25. Sed

quidquid senserit Gob., parùm refert; Quid dixi, colligitur ex Scriptura, Eccli. 3. v. 27. Qui amat periculum, peribit in illo; Item ex his propositionibus ab Inn. XI. damnatis, 62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit. 63. Licitum est querere directè occasionem proximam peccandi pro bono spiritali vel temporali, nostro vel proximi. Ratio est, quia qui vult tale periculum, censetur velle peccatum, quod cum illo periculo est conjunctum, ergo contrahit malitiam illius peccati: Deinde quia præceptum prohibens peccatum, etiam prohibet velle hoc, quod proximè & moraliter est conjunctum cum peccato, sicuti præceptum prohibens finem, etiam prohibet media ad talem finem ducentia, ergo qui exponit se periculo formali & certo peccati, peccat contra præceptum prohibens illud peccatum, & consequenter admittit malitiam talem, qualis est in ipso peccato.

*Obji.* Si quis teneatur vitare periculum proximum, etiam tenebitur vitare remotum, nam pono Titium per experientiam scire, si semel aspiciat virginem, se magis & magis trahi ad aspiciendum & concupiscendum eam; item per experientiam scire, si octies aspiciat, se solere concupiscere: hoc supposito sic argumentor, aspiciere octies est peccatum, ergo etiam aspiciere septies, ergo etiam aspiciere sexies &c., *Prob. conseq.* Ideo aspiciere octies est peccatum, quia est periculum proximum peccati, sed aspiciere septies etiam erit periculum proximum peccati, quia aspiciere septies est exponere se periculo proximo periculi proximi, atqui exponere se

peril:

periculo proximo periculi proximi est peccatum, quia sicuti exponere se periculo proximo peccati est peccatum, quia periculum proximum peccati est moraliter peccatum, adeoque qui vult illud, censetur velle peccatum, sic exponere se periculo proximo periculi proximi erit moraliter velle periculum proximum, quod moraliter est peccatum, ergo. Quod aspectus septimus sit periculum proximum aspectus octavi, probatur inde, quia nullus gradus mediat, & quod saepius aspicit, semper magis trahitur: vel determina quemcumque gradum periculi, qui erit ultimus in ratione periculi remoti ascendendo, dicam esse absolutè gradum periculi proximi, quia est periculum proximum periculo proximo. R. Aspectus septimus est ad summum materialiter tantum proximum periculum, vel per se, quia Titius per experientiam scit se per aspectum septimum non solere induci in octavum, vel per accidens, quia non advertit aspectum septimum esse periculum proximum respectu octavi: sicuti qui per experientiam scit octavam p̄ntam sibi esse periculum proximum ebrietatis, quamvis septima sit proxima ad octavam, tamen bibendo septimam, non peccat peccato ebrietatis, vel per se, quia per experientiam habet, quod septima non inebriet, vel per accidens, quia si inebriet, ipse invincibiliter ignorat se per septimam inebriari, sed prudenter putat tantum fieri per octavam. Nec obstat, quod nullus gradus mediet inter septimum & octavum, nam ratio periculi proximi non desumitur ab eo, quod nihil mediet, uti diximus n. 252., sed quod communiter nihil interveniat, quod impediatur conjunctio-

nem, hinc autem communiter aliquid intervenit, uti supponi debet.

- § 6. Similiter peccat graviter vel leviter, qui se exponit formali, quamvis tantum probabili periculo peccandi formaliter, uti rectè *Eliz.* l. 3. q. 15. §. 3. & seq. *Cardenas* in 1. Crisi d. 18. & in 2. Crisi diss. 40., & alii contra *Caram.* *Mur.* *Lumb.* *Hozes*, *Spor.* de Pcen. n. 324. *Gob.* n. 516.; videtur autem colligi ex damnatione propositionum n. 156. relatarum, quia talis directè quærit, aut saltem non fugit occasionem proximam peccati, & quidem conjunctam cum periculo formali peccandi formaliter. Ratio est, quia ille peccat, qui se exponit formali periculo & certo peccandi formaliter, uti dictam est n. 256., Ergo etiam, qui se exponit periculo probabili. *Prob. Conseq.* applicando rationes ibi allatas: quibus adde hæc, quia ideo, inter cætera, peccat ille, qui se exponit periculo certo, quia vult præsens malum animæ, quod nemo potest prudenter velle, sed idem est de periculo probabili; ergo. *Prob. min.* Periculum probabile animæ, etiam est præsens malum animæ, sicuti periculum probabile damni corporis, quale esset desilire ex alta fenestra, aut velle cum armis occurrere leoni, censetur præsens malum corporis, hinc qui illud temere vult, peccat, ergo multò magis periculum probabile damni animæ etiam est præsens malum animæ, & qui illud vult, peccat: hoc autem inter utrumque est discrimen, quod possit esse rationabilis causa volendi tale præsens malum corporis, v. g. ad salvandam vitam, quæ aliunde tolleretur, & contra non possit esse rationabilis causa volendi

sibi p  
& fa  
tio,  
aut h  
nostr  
rsre  
man  
lo fo  
quoc  
prode  
vros  
Ob  
ibi p  
in ali  
am p  
aus h  
prob  
in se  
peric  
turu  
babi  
tale  
ibi e  
tur p  
nom  
illuc  
pecc  
anti  
peri  
su d  
cert  
secu  
cenc  
prob  
sibi

sibi præsens malum animæ, uti ratio ipsa dicitur, & satis convincitur ex propositionibus damascenis, nam in illis dicitur, quod nec causa utilis aut honesta, nec bonum spirituale vel temporale, nostrum aut proximi sufficiat, ut licitè quis quærere possit, aut non fugere occasionem proximam peccati, saltem si sit conjuncta cum periculo formali peccandi formaliter: & huc facit, quod dicitur *Matt. 19. Marci 8. Luca 9.*, *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? ergo.*

*Obji.* Ubi periculum est tantum probabile, ibi probabile est non esse periculum, ergo sicuti in aliis materiis licitum est sequi unam sententiam probabilem relicta alia, ita & hic. *R. N. ant.*, aut si vis, distinguo, ubi periculum est tantum probabile, ibi probabile est non esse periculum, in se & in existendo, n, ibi probabile est non esse periculum quoad effectum sive peccatum secuturum, *c. ant. & n. conf.*, Ubi periculum est probabile, ibi non est probabile, quod non detur tale periculum, sed certum est, & supponitur ibi esse periculum, illud autem periculum dicitur probabile solummodo ratione effectus, quia non est certum, sed tantum est probabile, quod illud periculum sit futurum conjunctum cum peccato: sicuti si quis sumat venenum & simul antidotum contra venenum, certum est ibi esse periculum probabile mortis, quamvis hoc sensu dicatur periculum probabile, quia non est certum, sed tantum probabile, quod mors sit secutura, sed quod probabile sit vim veneni vincendam per vim antidoti: quod si alicui esset probabile, quod hic & nunc non esset periculum pro-

pro-

probabile lapsus, posset deponere dubium, & sibi formare conscientiam practicam, quod liceret ipsi hoc operari, nam formando sibi conscientiam practicam per iudicium prudens & reflexum tollit omne periculum formaliter peccandi, & tantum se exponit periculo peccandi materialiter, quod non tenetur vitare, secundum dicta l. 1. n. 339. E contra ubi supponitur esse periculum probabile peccandi formaliter, qualecumque mihi formem iudicium, illud periculum peccandi formaliter manebit, neque probabile est mihi, quod non peccem me exponendo illi periculo formaliter peccandi, ergo nunquam poterō me illi exponere. Dixi, non esse probabile mihi, nam qui iudicaret sententiam *Caram* & aliorum nostræ oppositam, probabilem esse, non peccaret formando sibi conscientiam practicam secundum illam, sed hoc per accidens esset.

258. §. 7. Simili modo peccat, qui se exponit formali periculo peccandi aliquo peccato indeterminate prævito, v. g. scio me solere peccare, vel per luxuriam, vel per distractionem, vel alio modo, quoties familiariter ago cum Titio, æquè teneo hoc formale periculum vitare, atque si illa familiaritas esset formale periculum determinatè solius luxuriæ, uti rectè *Lugo* n. 162. *Aversa* de Pœn q. 11. l. 3. *Herincx* De pecc. d. 7. n. 66. *Bosco* de Pœn. d. 7. l. 4. n. 282. & alii communius contra *Suar. Fill. Palav.* l. 7. n. 291. Ratio est, quia velle peccatum aliquod, in communi cognoscendo plura, æquè aut magis male est, quàm velle aliquod in particulari, prior enim voluntas est indifferens & parata ad plura,

ergo

ergo potius magis peccat. Limitat hoc *Bosco* n. 133. ad tales circumstantias, in quibus periculum peccati indeterminati æquè facile declinabitur, ac periculum peccati determinati, v. g. si sciam, intrando domum A. erit periculum detractionis, intrando domum B. erit periculum vel detractionis vel etiam fornicationis, in hoc casu admittit eum peccare gravius, qui intrat domum B, quia exponit se periculo peccatorum plurium, & posset æquè facile declinare utrumque periculum, in aliis autem circumstantiis putat hoc non esse verum, alioquin, inquit, quivis teneretur Religionem ingredi, quia moraliter certus est, si maneat in mundo, se aliquando peccaturum hoc vel illo peccato indeterminatè, & saltem sæpius, quàm in Religione: sed hanc limitationem rejiciunt alii, quia etiam in Religione peccare posset contra vota, contra quæ non peccat in mundo, & quòd prævideat se peccaturum sæpius in mundo, saltem hoc non est ratione alicujus determinatè occasionis proximæ, quam declinare possit aut debeat, quando autem occasio est tantùm communis, rectè probat *Lugo* d. 15. s. 4. non esse obligationem vitandi illam, nec propriè dici proximam.

§. 8. Si periculum, etiam de se absolutè proximum, desinat esse formale, & fiat materiale tantùm, ac re ipsa remotum respectivè ad circumstantias vel personam, licitum est, saltem in necessitate, se illi exponere, ut colligitur ex *Cap. Consultationi*, & *Cap. Laudabilem*, De frigidis, ubi Papa declarat duos, qui propter impotentiam contraxerant Matrimonium invalidum, posse mansere simul tanquam fratrem & for-

foro-



sororem, & tamen ibi fuit materiale periculum  
 peccandi, quod ab illis fieri poterat remotum,  
 sicuti fit remotum in illis conjugibus, qui post  
 votum continentiae manent cohabitantes, uti  
 notat *Hevinus* n. 70., dicens in casibus juris non  
 fuisse periculum scandali vel infamiae, ex eo,  
 quod fuissent separati, cum causa illa esset pu-  
 blicè examinata, sed potius erat scandalum vel  
 infamia, si non separarentur. Et valet, quod di-  
 ctum est, non tantum quando occasio illius pe-  
 riculi est aliquid de se indifferens, uti admittit  
*Bosco* n. 157., sed etiam quando est aliquid  
 communiter malum, uti censetur esse aspectus  
 puellae nudae. Ratio est, quia tunc non censetur  
 esse occasio absolute proxima peccandi, sed ob  
 circumstantias fit hic & nunc remota, talis au-  
 tem occasio non est intrinsecè mala, cum in se  
 non sit peccatum, uti fatentur omnes, & quanti-  
 vis intrinsecè sit periculum, tamen hic & nunc  
 fit remotum, quod non censetur praesens ma-  
 lum animae, ergo potest saltem ex necessitate  
 adiri; quod etiam inde convincitur, quia aliter  
 non liceret Medicis vel Chirurgis medendi cau-  
 sa tangere aliena pudenda, hoc autem licere  
 docent omnes, in iis nempe circumstantiis, qui-  
 bus possunt periculum de se proximum facere  
 remotum, quod faciunt, si tunc, quando ne-  
 cessitas proximi & ipsorum officium postulat,  
 arment se bonis cogitationibus, firmiterque sta-  
 tuant non consentire in delectationem turpem,  
 experientia enim docet, quod tunc gratia Dei  
 adjuventur, nec consentiant, ideoque tale pe-  
 riculum desinit esse proximum respectivè ad il-  
 los.

*Obji.* Quamvis in casu particulari cesset finis legis, non ideo cessat obligatio legis, secundum dicta L. 1. n. 868., ergo quamvis ratio periculi absolute proximi cesset respectu hujus personæ, non ideo cessat obligatio vitandi periculum absolute proximum, ita *Oviedo* n. 51. *Bona-spei* d. 9. n. 123. *Bosco* supra & alii. *R.* 1. n. suppositum ant., nempe quod finis legis cesset in aliquo particulari, si pergat obligare reliquos, secundum dicta L. 1. n. 868. *R.* 2. n. conseq. leges aliz obligant absolute omnes ob communem præsumptionem, quod ratio legis reperitur in omnibus, hinc licet finis legis videatur cessare in aliquo particulari, reipsa non cessat, quia finis ejus erat hoc obtinere, quod præcipitur, qui communiter apud omnes obtinetur per observationem legis, ut loco cit. explicatum est: E contra lex vitandi periculum peccati non est lata ex præsumptione, sed est lex naturalis, tunc tantum obligans, quando ratio dicit esse & manere periculum proximum respectivè ad operantem, nego autem esse legem obligantem ad vitandum absolute periculum de se proximum, si nempe hic & nunc fiat remotum, & non sit conjunctum cum peccato.

*Inst.* Ergo lex naturalis etiam non prohibebit simplicem fornicationem, si hæc non sit præjudiciosa proli, sed huic antecedenter provideatur de alimentis, & caveantur omnia damna, quæ inde nasci possent, ita *Oviedo* *R.* Non posse omnia caveri, ut fatetur ipse *Oviedo* n. 150., nam inter cætera unum præjudicium & damnum est, nasci extra Matrimonium, & à parentibus, lege alicujus Matrimonii non obligatis ad curan-

curan-

curandam prolem. Quod si quis fingat cessare omne illud, propter quod fornicatio habet oppositionem cum lege naturali, adhuc manet prohibita per legem Dei positivam, non mocha-beris, aliasque humanas, idque ob præjudicia & damna, quæ communiter ex illa sequuntur, quamvis hic & nunc per accidens non sequeretur: de vitando autem periculo materiali peccati nulla talis lex potest ostendi.

271. §. 9. Si quis nullo modo possit facere, ut cum occasione externa non sit conjunctum periculum formale peccandi, dubium est, an sit obligatio eam occasionem externam deserendi, etiam cum quocunque incommodo, quamvis deberet subire jacturam omnium bonorum fortunæ, famæ & vitæ: negant eum ad hoc teneri AA. gravissimi, quos recensent & sequuntur *Lugo De Pœn. d. 14. n. 152. J. Sanch. d. 10. à n. 8. Castrop. T. 2. d. 2. p. 9. §. 3. Tamb. De Confess. L. 2. C. 2. n. 10. Honorat. Fabri In Apologia, Dialogo Anonymi ad Anonymum, Gob. in Quin. T. 5. C. 33. n. 80. & in Exp. T. 7. n. 529. Burgh. Cent. 2. cas. 66. Stoz L. 2. n. 106. Palav. supra, Vind. Gob. p. 2. prop. 13.*, dicuntque non peccare eum, qui ex tali necessitate gravissima manet in occasione proxima, dummodo conetur cavere peccatum adhibeatque nova media, & sit spes, quamvis incerta vincendi: imò extendunt hoc aliqui ad casum, quo quis ex revelatione sciret se peccaturum, si in ea occasione maneret, sed hi audiendi non sunt: Rationem dant priores, quia talis occasio non est peccatum, neque moraliter possibile est eam vitare, ergo est involuntaria, quam quis dicitur potius pati aut permittere,

tere, quàm ponere aut velle. Addit *Palav.* obligationem fugiendi talem occasionem allaturam plura peccata quàm impedituram, quia ordinariè violaretur, ergo non est credibile esse talem obligationem. *Conf.* Quia si esset obligatio cum tam grandi incommodo vitandi occasionem peccati mortalis, etiam esset obligatio vitandi occasionem peccati venialis, quod videtur nimis durum. Atque ex hac doctrina inferunt multa corollaria *J. Sanch.* à n. 9. & *Oviedo* à nu. 158.

E contra *Caj. Lop. Corr. Graff. Lorca, Tann. Carden.* aliique apud *J. Sanch.* & apud *Stoz* supra dicunt non curanda esse talia incommoda, sed moralem impossibilitatem vincendam ac fugienda talia pericula formalia, etiam cum jactura omnium bonorum fortunæ, famæ & vitæ, si aliter excludi non possint, quia homo tenetur etiam cum jactura vitæ evitare omne peccatum, sive, tenetur potius mori, quàm peccare, etiam tantum venialiter, ergo etiam sic tenetur vitare periculum formale peccati, velle enim manere in illo est moraliter velle peccatum, quia tale periculum formale & peccatum sunt moraliter idem; sed nullo casu licitum est velle peccatum, ergo nec tale periculum. *Conf.* Quia imprudenter agis & peccas contra Charitatem propriam, si velis occurrere Leoni, cum periculo mortis corporalis, multò magis, si sic te exponas periculo animæ. *Nec dici potest,* quòd sit tantum permissio peccati, nam licet peccatum alienum permitti possit, tamen concipi non potest, quomodo quis dicatur permittere internum & formale peccatum proprium, si enim permittit, admittit,

ergo peccat, unde sicuti qui ex metu mortis mentitur, peccat, quamvis non mentiretur, si abesset metus mortis, ita peccat, qui ex metu mortis manet in periculo formali, cum quo moraliter est conjunctum peccatum. Si dicas, permitti tantum periculum proprii peccati, contra est, quia Nego hoc licite permitti, uti licite non permittitur proprium peccatum, aut periculum propriæ mortis corporeæ occurrendo Leoni: do itaque, quod aliquando permitti possit occasio externa, removendo periculum formale peccati, sed nego permitti posse periculum formale, quia hoc esset illud cum peccato admittere. *Notiterum refert*, quod sit moraliter impossibile fugere tale periculum, eò quod hoc videatur superare humanam infirmitatem; quia cum illa morali impossibilitate adhuc manet libertas sufficiens ad peccandum, uti in illo, qui ex gravissimo metu mortis certò incurrendæ mentitur, quamvis sit moralis impossibilitas non mentiendi, tamen certum est, quod peccet mentiendo, ergo.

Hæc 2. sententia admodum rigida est, at tamen videtur vera, cujus probabilitatem agnoscit *Bosco* n. 279. Et quamvis pro opposita sententia AA. plurimi; plerique scripserunt ante damnationes variarum propositionum, quæ huic materię magnam lucem attulerunt, unde hæc secunda sententia potest confirmari ex damnatione propositionis 41. ab *Alex. VII.* facta, *Non obligandus concubinaris ad ejicendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinaris vulgò Regalo, dum deficiente illo nimis agrè ageret etiam, & alia epula tædio magno concubinarium asserebant, & alia famula nimis difficile inveniretur.* Et

qua damnatione fit tale argumentum: Retentio concubinæ non est peccatum, sed tantum occasio proxima peccandi, & tamen est obligatio illam removendi, quamvis esset nimis utilis, quamvis postea tedium magnum nasceretur, quamvis vita ideo nimis ægrè ageretur, quamvis nimis difficile reperiretur altera: hæc autem videntur esse gravissima incommoda, nam tedium magno affici, valde ægrè vitam agere, ex iudicio Medicorum sunt morbi graves, ex quibus multi contabuerunt, ergo. Qui primam, benigniorem sententiam volet defendere, legat *Vind. Gob. supra.*

§. 10. Non est obligatio fugiendi periculum leve peccandi, quia alioquin debueratis de hoc mundo exisse, inquit *Apostolus 1. ad Corinth. 5.*, nam ubique serè est hoc periculum: Et Ratio ulterior est, quia periculum leve propriè non est periculum, qui enim iudicaret verè ibi esse periculum, temerè & imprudenter iudicaret, ergo non est obligatio vitandi tale periculum. Ex dictis,

*Infertur, opus venialiter malum, imò & indifferens fieri peccatum mortale, si per illud aliquis se exponat periculo formali certo aut probabili peccandi mortaliter, non tamen si se exponat periculo tantum levi.*

§. 11. Circa hæc, notanda sunt præterea seqq. 1. Per periculum peccati hæc intelligitur periculum liberi consensûs in peccatum, non autem periculum solius tentationis ad peccatum, nec periculum altariis effectûs mali, licitum est enim, quando abest periculum consensûs, se exponere periculis tentationum, item aliquando turpium motuum & similiarum effe-

Q 2

ctuum,

Stultum, uti sæpe dictum est; hinc tantum dicimus, quod ubi advertitur esse formale periculum consensûs in peccatum, tale periculum vitari debeat.

275. 2. Non debet passim absque ratione apprehendi periculum peccati, stultum enim foret nolle loqui cum hominibus, ne quid mali audias, nolle salutare mulierem, ne te seducat &c. imò per hoc temerè judicas vel suspicaris de proximo, quasi esset malus, quod est contra Charitatem & Justitiam, cum quisque debeat præsumi bonus, donec probetur esse malus. Et quamvis per accidens audiretur, aut ab alio fieret aliquid mali, non ideo tu es causa, nec ideo statim consentis: Si autem quis à se ipso timeat periculum, sæpissimè auget illud per illos suos timores, unde expedit, ut sine timore ita agat in omnibus, sicuti videt sine timore agere alios, qui communiter habeantur prudentes & probi; si quid mali præter intentionem sequatur, permittat ac contemnat, & sic faciliùs vincet pericula.
276. 3. In mercatura non est, per se, occasio proxima peccati, hinc potest quis eam exercere, ut rectè *Bosco* n. 251., quia potest quis, si tantum mediocriter sit timoratus, ea peccata vitare, & periculum, quod hinc maximè oritur ab intrinseca cupiditate subjecti aut ab aliis circumstantiis, quæ per accidens se habent ad mercaturam, reddere remotum aut leve.
277. 4. Si militia alicui sit occasio proxima peccandi, ut esse poterat illi, qui militiam sequitur, ut gaudeat libertate, aut impunè agat, quidquid volet, talis tenetur militiam deserere; de cætero  
mill.

militia, per se, licita est, nec cenferi debet absolute occasio proxima peccandi, uti rectè Bosco supra.

5. Qui non potest vitare occasionem externam, tenetur periculum formale peccandi cavere per actus internos vel per alia media, hinc filius, qui à patre nequit discedere, nec conversationem cum domestica ancilla cavere, cum qua frequenter peccat, neque facere, ut è domo paterna expellatur, tenetur extenuare periculum formale relaxandi per actus suos proprios, scilicet per magnam detestationem peccati, considerationem extremorum, intensionem propositorum, preces ad Deum, pœnitentias voluntarias, aliaque, quæ ipsi Confessarius suggeret. Quòd si nihilominus maneat periculum proximum, tenetur cum quocumque incommodo, etiam cum dispendio vitæ, abire.

6. Quando occasio externa est conjuncta cum passione vehemente, vel cum habitu vitioso, vel cum forti tentatione, peccat, qui non deserit; quod maximè valet in materia luxuriæ, & quoad aliquos homines, in materia iracundiæ & furti: nec satis est, quòd velit per actus internos tollere periculum formale, quia manet in occasione proxima, nec potest excludere formale periculum, rarissimè enim poterit se ita armare, quin in occasione cadat, uti experientia docet.

7. Qualiscumque sit necessitas se exponendi periculo peccati, semper simul est obligatio avertendi periculum formale peccandi, hinc qui per experientiam scit se communiter non posse avertere hoc periculum, sed solere peccare mortaliter, saltem cogitatione, quando conversatur



cum tali socio, loquitur cum illa puella, intemperanter bibit, accedit ad istam domum, &c., absolvi non potest, si hæc nolit efficaciter vitare; Similiter absolvi non potest, si quis antehac motus, re ipsa non removerit occasionem externam, v. g. puellam ex domo; nec satis est, quod nunc proponat, sed debet actu removisse, nisi nunc esset nova & certa ratio iudicandi, quod statim post remoturus esset, quod rarissime credi debet, cum experientia doceat, nimis facile iterum mutari voluntatem, & ita docent DD. universi, inquit J. Sanch. supra n. 6. Ratio autem est manifesta, quia si ante absolutionem non removeat, cum per experientiam sciat se solentia proposita mutare, exponit se periculo proximo postea iterum non removendi, aut saltem non statim removendi, ad quod tamen tenetur sub mortali, ergo exponit se periculo mortalis, & hoc ipso peccat mortaliter, ergo non est capax absolutionis.

381. 8. Quamvis Gob. in Quin. t. 5. c. 32. n. 20. putet absolvi posse quasdam puellas, *Quæ non habent propositum nunquam amplius admittendi procum secum in lectum*, eamque propositionem pro plebeis rusticis in Germania conetur defendere Vind. Gob. prop. 12., tamen hoc prorsus rejiciendum est, licet enim dicant inter sex aut septem vices, quibus admiserint, non solere vel semel aliquid mali agere, ideoque occasionem illam debere respectu illorum censi remotam, tamen id credi non potest nec debet, cum plerumque interveniant oscula, tactus, aspectus, aut saltem cogitationes morosæ, vel desideria, vel commotiones turpes, quæ rustici calet
- fortè

fortè non apprehendunt esse peccata, sunt autem, & debent, per se loquendo, obligari ad ea cavenda.

9. Inter occasiones proximas peccandi sunt 282. etiam choreæ, præsertim nocturnæ; quas puellæ cum adolescentibus concurrentes agitant, nam interveniunt oscula, amplexus, gesticulationes turpes, perulantes tactus, sermones impudici &c., à quibus, moraliter loquendo, impossibile est abesse pravas commotiones, imaginationes, delectationes, desideria: hinc *S. Anton.* p. 2. tit. 6. c. 6. §. 2. vocat choreas iter diaboli; *S. Ephrem* pompam diaboli; *S. Chrys.* tripudia, quibus saltat diabolus. Similiter popinarum frequentatio ordinariè habet adjuncta multa pericula peccandi per rixas, detractiones, turpiloquia, inebriationes sui & aliorum: non putem tamen hæc popinarum pericula respectu plerorumque esse proxima, qualia si sint respectu alicujus, si vitare non velit, non est capax absolutionis.

10. Quod dictum est de periculis mortalium, 283. applicari debet periculis venialium, unde quamvis *Con. de Pœn. d. 2. n. 130.* *Laym. l. 5. t. 6. c. 4. n. 20.* *Tamb. in meth. Conf. l. 1. c. 3. n. 14.* *Palav. de Pœn. n. 292.* *Semery de Pœn. q. 7. p. 3. q. 6.* dicant ad pœnitentiam & remissionem venialium non requiri propositum vitandi occasiones illorum proximas, tamen oppositum est tenendum, quia qui occasiones illas non vult vitare, non vult vitare illa peccata, ergo de illis non habet sincerum & efficacem dolorem aut propositum, uti rectè *Arr. de Pœn. d. 38. nu. 38.* *Bosco n. 248.*

Q 4

Q 46.

284. Q. 46. An veniale aliquando fiat mortale ratione numeri. R.

§. 1. Aliqua sunt venialia, quorum materia & effectus inter se nunquam ununtur in ordine ad constituendum aliquid unum, & talia sunt otiosa verba, mendacia, delectationes sensuum. Item omnia illa, quae sunt circa res preceptas diversis determinate temporibus, ita ut cum tempore obligatio finiatur, uti sunt venialia circa Missas, jejunia, Horas canonicas plurimum dierum, obligatio enim ad illa finitur cum singulis diebus, quibus praecipuntur. E contra alia sunt, quorum materia vel effectus uniri possunt in ordine ad constituendum aliquid unum, sic furta levia eidem facta, ununtur ad constituendum unum damnum grave; multae leves detractiones de fama ejusdem apud eundem ununtur in ordine ad tollendam bonam de eo existimationem; multae leves percussiones ejusdem novum vulnus infligentes ununtur ad effectum inferendae mortis; multae comestiones rerum noxiarum, vel immodicae potationes repetitae ununtur ad effectum notabiliter affligendae valetudinis, multae comestiones parvae in die jejunii ununtur ad effectum nutritionis; multae fabulationes parvae in Missa, multae omissiones parvae in Horis unius diei ununtur ad constituendam omissionem partis notabilis &c.

285. §. 2. Peccata venialia, in quibus materia vel effectus non ununtur, quantumcumque numero multiplicentur, non fiunt mortale, uti recte S. Thom. 1. 2. q. 88. a. 4. in corp., *Omnia peccata venialia de mundo non possunt habere tantum reatum, quantum unum mortale.* Sequuntur omnes communitissime

munissimè, hinc *Castrop. & Ovied.* dicunt id certum esse apud omnes Catholicos, *Rhodes d. 1. q. 3. l. 2.* dicta censeri communiter esse de fide: hinc *Glossa in Can.*, tres sunt, de poen. dist. 1., quæ dicebat ex venialibus fieri posse mortale, jussu Pontificis est deleta, uti refert *Herinx d. 7. n. 56.* Ratio autem est, 1. Quia per venialia, in quæ frequentius labimur, non excludimur à gratia Dei, uti docet *Trid. s. 14. c. 5.* ergo talia venialia, etiam frequentia, non fiunt mortale, si enim unum veniale nullam habeat oppositionem cum gratia, nec multa habebunt. 2. Mortale est in superiore specie, & in supremo ordine peccati, ergo nulla multiplicatio venialium potest illud attingere, sicuti nulla multiplicatio brutorum potest attingere perfectionem speciei, quæ est homo. Et ratio utriusque à priori est, quia quantumcumque multa addatur individua, singula sunt & manent in specie inferiore ac imperfectiore, habentque differentiam essentialiam, quàm species superior, neque invicem faciunt intensionem aut quid perfectius, sed tantum extensionem, ergo ob multiplicationem individuorum in inferiore specie nunquam potest attingi species superior. 3. Sententia illa dicens per multiplicationem venialium fieri mortale, est exposita infinitis scrupulis, semper enim timere poterit homo, ne forsitan per primum veniale, quod committet, impleatur numerus ad mortale requisitus, & sic per omne veniale peccabit mortaliter, quia se exponet periculo peccati mortalis, neque tamen unquam hoc scire poterit, in ordine ad Confessionem.

286. *Obji. 1.* Ex duobus non hominibus, nempe ex corpore & anima, fit homo specie distinctus à singulis partibus: Item ex duobus binariis fit quaternarium in ratione numeri specie distinctam à binariis, ergo ex pluribus venialibus fieri poterit unum mortale. *Conf.* quia ex multis parvis guttis fit unum magnum mare, ergo ex multis parvis peccatis poterit fieri unum magnum. *R. N.* conseq., priora illa habent de se incomplecionem physicam ad invicem, & aptitudinem, ut uniantur, hinc unita faciunt unum: Venialia non habent incomplecionem ad invicem, nec in quo uniantur in ordine ad faciendum unum mortale. *Ad Conf.* etiam *n. conf.*, mare non est nisi collectio guttarum unitarum, sicuti continuum non est nisi collectio partium unitarum, & in utroque tam partes quàm totum sunt ejusdem naturæ & speciei, non item venialia & mortale: Vide dicenda *n. 291.*

287. *Obji. 2.* *SS. PP.* apud *Bellarmin.* De amiss. gratiæ *l. 1. c. 13.* clarè dicunt ex multis peccatis levibus fieri unum grave, sic *S. Aug. T. 13. in Joan.*, minuta plura peccata, si negligantur, occidunt; minuta sunt guttæ aquæ, flumina implent, minuta sunt grana arenæ, sed si multa arena imponatur, premit atque opprimit. Et *serm. 3. in ps. 98.* *Etsi non singulis suis molibus corruunt, omnia tamen acceruos obruunt;* Item utuntur hoc simili, quodd morbus curabilis, fiat quandoque incurabilis. *R. SS. PP.* tantùm volunt, quodd multa venialia disponant ad mortale, uti eos rectè explicat *S. Thom. ad 1.*, hinc etiam *Eccli. 19.* dicitur, *Qui spernis modica, paulatim decidet;* & *S. Greg. l. 10. mor. c. 9.* *Ex vanitate ad iniquitatem ducimur.* Et illa quidem

dem venialia, quæ fiunt ex indeliberatione vel parvitate materiæ, cum versentur circa idem objectum, circa quod etiam est mortale, directe disponunt ad mortale, causando habitus, qui faciunt ad idem objectum: Reliqua autem, quæ ex genere suo sunt venialia, indirecte tantum disponunt, in quantum tollunt fervorem Charitatis, minuunt timorem Dei, causant majorem audaciam in peccando, demerentur gratias actuales, per quas resisteretur mortalibus. Ad similitudinem, disparitas est, quod morbus curabilis sit dispositio permanens, quæ potest in se augeri usque ad illationem mortis, veniale est actus transiens; & quamvis esset quid permanens, tamen augeri non potest vel latendi per alium actum. Ex his,

*Infertur*, velle committere omnia ejusmodi venialia, per se & speculativè loquendo, non est 288. mortale, est tamen magna dispositio ad mortale, & in praxi, tali voluntati sæpe conjungitur mortale. *Primam partem tenent Gran. Salas, Castrop. t. 2. d. 2. p. 9. §. 3. n. 5. Oviedo controv. 3. n. 81. Moya t. 1. tr. 6. d. 2. q. 1. contra Sanch. Bonac. Rhod. l. 4. §. 1. & alios.* Ratio autem est, quia committere omnia illa venialia non est mortale, ergo nec velle committere, plus enim est re ipsa committere, quam tantum velle, & volitio committendi non potest majorem trahere malitiam, quam habeat objectum ipsius commissionis. Dixi, per se, nam si aliquod veniale vel aliqua venialium collectio esset alicui periculum proximum peccandi mortaliter, hoc ipso quod vellet tale veniale aut talem collectionem, peccaret mortaliter, uti constat ex dictis à n. 256.

*Ratio*

*Ratio secundæ partis insinuata est n. 287., quia sic dispositus non habet fervorem charitatis, nec magnum Dei timorem, sine quibus non diu perseveratur absque mortali. Deinde talis vult quascumque occasiones remotas tentationum vehementium, & pericula remota peccatorum mortalium, quæ moraliter non evadet absque specialibus gratiis actualibus, quibus se volens reddit indignum, vel re ipsa rejicit, peccando venialiter, hinc in praxi non diu exit sine mortali.*

*Obji. Religiosus paratus transgredi omnes Regulas sui Ordinis, quamvis non obligantes sub peccato, peccat mortaliter, ergo multo magis paratus transgredi omnes leges obligantes sub peccato veniali. R. Peccat mortaliter, per se & ratione Regularum violandarum, n. per accidens ratione contemptus vel scandali vel damni, quod causat sibi aut Religioni, c. antec., & idem dico ad consequens. Vide dicta l. 4. à n. 58. Item dicta hinc n. 214.*

289. §. 3. Si materiz vel effectus multorum venialium uniantur, fieri potest, ut illud, quod de se tantum fuisset veniale, sit mortale, uti habet communis; nam supposito, quod alicui, etiam per vices, furari 20. solidos sit materia gravis, si per vices abstuleris 19., semper peccasti tantum venialiter, si eripias vigesimum, hoc furtum secundum se fuisset leve, jam tamen hic ultimum solidus simul sumptus cum prioribus facit materiam gravem, quam totam censeris velle per ultimum illud furtum, quo volens injustè retinere priores, adhuc accipis illum unum, sicque ferris in illos omnes simul sumptos, adeoque in damnum

damnum grave alterius, ergo hoc ipso peccas mortaliter. Et idem est in similibus materiis, de quibus dictum est n. 284.

*Obji. 1.* Ultima acceptio tantum leviter con- 290.  
currit ad materiam gravem, non enim addit nisi aliquid leve, ergo non erit magis mortale, quam priores acceptiones, quæ etiam concurrerant ad totam materiam gravem constituendam. R. Huic difficultati satisfactum esse l. 3. p. 1. num. 1005.

*Obji. 2.* Si multæ materiæ leviss uniantur ad constituendam unam gravem, ergo poterunt etiam multa venialia ratione talis materiæ mo- 291.  
raliter uniri ad constituendum unum mortale. Ita Bonæ. spei d. 9. à n. 93. R. n. conf., materiæ uniri possunt, quia una auget alteram: Veniale unum non potest augere alterum: & cur ex omnibus venialibus simul sumptis non possit fieri mortale, satis dictum est n. 285.

*Inst.* Si quis per 20. actus simul habitos velle eidem furari 20. solidos, singuli actus essent veniale, & tamen talis homo peccaret mortaliter, ergo ex illis 20. venialibus fieret mortale. R. N. 1. partem ant., nam si tales 20. actus possint esse simul, de quo dubitat Arr. d. 48. n. 24., per singulos peccavit mortaliter, quia cognoscit per illos accipi 20. solidos, & singuli actus sunt à voluntate simul tendente in damnum grave, ad quod nihil refert, quod intendatur per unum vel plures actus, ergo hoc ipso singuli actus sunt mortale, & præterea ideo, quia objectum singulorum actuum est complementum damni gravis, ex suppositione aliorum concomitantium.



292. §. 4. Ex principiis positis colligantur seqq. 1. Qui per 20. vices aufert eidem 20. solidos, peccat gravius secundâ vice quàm primâ, & terciâ, quàm secundâ, sicque deinceps, uti dictum est l. 3. p. 1. n. 1005.
293. 2. Si fur accipiens vigesimum solidum nihil cogitaret de prioribus ablatiis, aut si restituisse usque ad materiam cum hoc levem, aut si haberet voluntatem restituendi præcedentes, aut si nunc non obligaretur ad illos restituendos, quia vel non posset vel rationabiliter præsumere Dominum remittere, furtum vigesimi solidi non esset nisi veniale, quia moraliter non uniretur cum prioribus, *Rebel. Less. Opied. nu. 109. Merat. n. 5.*
294. 3. Qui semel complevit materiam gravem, & iterum furatur aliquid, etiam leve, quod cum priorè materia ablata faciat unum, iterum peccat mortaliter, uti dictum est l. 3. p. 1. n. 1007, ubi à n. 1006. videri possunt plura etiam huc spectantia.
295. 4. Si sartor singulis Festis toto anno laboret per horam, non peccat mortaliter, quia labores illi non uniantur in ordine ad inhonorandum unum Festum: si autem uno Festo manè laboret per horam, iterumque sub meridiem, & iterum vespere, peccat mortaliter; quia labores trium horarum (quos suppono esse materiam gravem, secundùm dicta l. 3. p. 1. n. 594.) uniantur in ordine ad inhonationem unius Festi. Quid dicendum sit, si habeat tres famulos, & singulis imperet, ut successivè vel simul laborarent unâ horâ, dictum est l. 3. p. 1. à n. 580.

5. Si supponamus, quod singulæ Horæ bre- 296.  
viarii scorsim præcipiantur, ideoque toties pec-  
cetur mortaliter, quot Horæ omittuntur, uti  
dicunt Less. & alii, in hac sententia putant aliqui  
cum Gob. in Exp. t. 5. n. 609. probabile esse non  
fore mortale, si quis in singulis Horis omitteret  
duos psalmos cum hymno, quamvis eodẽ die  
omittat saltem 14. psalmos & 8. hymnos, quia  
secundum hos AA. illæ partes omissæ pertine-  
rent ad diversas horas, ergo non unirentur in  
ordine ad unam materiam constituendam: è  
contrà tamen in sententia Nav. Silv. Lugo. Stoz,  
Tamb. de Confess. l. 2. c. 2. n. 12., quod omnes  
Horæ præcipiantur tanquam partes unius inte-  
gri officii, quod probabilius dicitur, qui per to-  
tum officium tam multum vel paulò plus omit-  
tit, quàm est integra parva Hora, peccat morta-  
liter, quia partes illæ spectantes ad unum ejus-  
dem diei officium coalescunt in unam materiam  
ejusdem præcepti, & faciunt quantitatem nota-  
bilem. Vide dicta l. 4. n. 1203.

Quid dicendum sit, si quis diversis votis vo-  
verit pro eadem die diversas materias leves:  
item si voverit pro omni die aliquid leve, & o-  
mittat multis diebus, dictum est l. 3. p. 1. n. 449.  
& 450.

Q. 47. Quomodo veniale possit præterea fieri 297.  
mortale. R. Fieri potest, 1. Ex mutatione legis,  
quæ prius obligabat leviter, si postea obliget  
graviter. 2. Ex mutatione conscientie, quæ prius  
dictabat aliquid esse veniale, jam autem dictat  
esse mortale, uti de utroque à contrario dictum  
est n. 235. 3. Si peccans venialiter actu esset com-  
paratus propter illud veniale etiam committere  
mor-

mortale, uti sæpius insinuatum est. 4. Si per oppositionem ad aliam virtutem vel legem accedat malitia mortalis, uti dictum est à nu. 117, & exemplum habes n. 241. Quomodo autem veniale fiat mortale ratione scandali, colligi potest ex dictis l. 2. à n. 221.

### CAPUT III.

*De peccatis capitalibus in specie.*

#### DUBIUM I.

*Quid sit superbia, & quale peccatum.*

298. **R**esp. I. Superbia est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ: mortalis ex genere suo, si sit consummata & perfecta, id est, si quis ita excellere appetat, ut Deo, Superioribus, eorumque legibus subjici nolit. Imperfecta tamen, quâ quis subjici non renuens iis, quibus debet, & in suo tantum affectu sese magnificat, est tantum veniale, ut docet Cajet. V. Superbia, quia sine Dei & aliorum despectu plus justo se efferre, non est gravis inordinatio: esset tamen gravis, si fieret cum notabili aliorum contemptu, complacendo in aliorum abiectione.
- Resp. II. Filix superbiæ sunt tres, 1. Est præsumptio, quæ est appetitus aggrediendi aliquid supra vires. Est communiter veniale tantum: fit tamen mortale, si damnum Deo aut proximo afferat; v. g. si præsumas jurisdictionem Ecclesiasticam, potestatem Ordinis sacri; item officium Medici, Advocati, Confessarii, &c. sine debita

debita peritia. *Leff. l. 3. cap. 2. d. 3. n. 18. & supra*  
*l. 4. t. 3. d. 9.*

1. Est ambitio, quæ est inordinatus appetitus dignitatis, & honoris non debiti, vel debito majoris; ut si ambias beneficium, vel officium, quo es indignus; vel illicito modo & medio, v. g. per simoniam. Est per se peccatum veniale, fit autem mortale, vel ratione materiz, ex qua, vel ratione medii, per quod honor quæritur, vel ratione damni, quod proximo infertur. Denique si moderatè honor appetatur ob honestum finem, erit actus magnanimitatis, ut docet *Laym.*

3. Est vana gloria, scilicet cupiditas inanis gloriæ; cujus finis est manifestatio inordinata propriæ excellentiæ, sive veræ, sive fictæ. Dicitur, *vana*, quando quæritur ex re mala, falsa aut ficta; aut quæ non est digna gloriâ, vel non tantâ, ut ex opibus, nugis, &c. aut apud eos, qui non bene de re judicent, aut sine debito fine. Est peccatum per se veniale, mortale sæpe per accidens, ut dictum de ambitione. Imò, ut contra *Angelum rectè docet Sylv. Nav. c. 17. Sc.* est tantum veniale res etiam sacras principaliter facere ob gloriam vanam, v. g. concionari.

Porro per vanam gloriam dupliciter peccatur, juxta *D. Tho. 1. 2. q. 13.*

I. Directè; idque vel per verba, estque jactantia, quæ est venialis per se, si sit de rebus bonis, v. g. jejunio, oratione, &c. etsi per accidens sæpe ratione damni, si sit falsa, fiat mortalis; ut etiam 1. si quid dicat contra gloriam Dei; ut *Ezech. 28. Deus ego sum. 2. Si prorumpat in contumelias, v. g. non sum sicut cæteri homi-*

»num, adulter, &c. ut & hic. 3. Ex fine malo. 4.  
 »Si cum notabili damno proximi fiat. 5. Si de re  
 »mortaliter mala; quia approbatio operis can-  
 »dem cum illo speciem habet; (quæ proinde in  
 »Confessione debet exprimi, saltem quando  
 »cum jactantia de peccato, conjuncta fuit com-  
 »placencia ejusdem; quod addo, quia si absque  
 »ea fuit, Nav. Palau & Dia. p. 3. t. 4. R. 161.  
 »docent contra Sauch. Lopez, Rodrig. &c. non  
 »necessariò explicari. Vid. Lug. de pœn d. 16. num.  
 »167.) vel per facta, quæ si vera sunt, & aliquid  
 »admirationis habent, dicitur inventio novi-  
 »tatum; hæc enim solet vulgus admirari, ut pe-  
 »reginas vestes, opiniones, &c. mortale, si no-  
 »tabiliter corrumpat juventutem, vel mores. Si  
 »verò facta falsa sint, est hypocrisis; v. g. si quis  
 »boni aliquid faciat, ut videatur bonus, et si non  
 »sit; quæ ex se venialis est, nisi sit cum injuria, vel  
 »contemptu Dei & proximi.

» II. Indirectè, in quantum quis altero non  
 »vult esse minor: Quod fit quadrupliciter, 1.  
 »Per intellectum; & est pertinacia, quâ quis mi-  
 »nis tenaciter adhæret suæ sententiæ: quæ est  
 »mortalis, si oppugnetur veritas magni mo-  
 »menti; vel si sit conjuncta cum periculo tertii,  
 »v. g. si Medicus cum periculo ægroti maneat in  
 »sententiâ. 2. Per voluntatem, & est discordia,  
 »quâ peccatur mortaliter, quando est circa bo-  
 »num Dei vel proximi, in quo deberent esse  
 »concordes. 3. Per verba, & est contentio; quæ  
 »est mortalis, quando animo contradicendi al-  
 »teraris circa veritatem pertinentem ad fidem,  
 »vel salutem animæ aut corporis. 4. Per facta,  
 »cum quis non vult exequi, quod debet: & est  
 »inobediencia. V. Baldell. Resp.

Resp. III. His tribus superbix filiabus re-  
spondet pusillanimitas; quã quis nimium sibi  
diffidens detractat honores, gloriam, vel offi-  
cium, quo dignus est: veniale est ex genere suo,  
fit mortale, si detrectes, ad quod teneris sub  
mortali. *V. Less. n. 18. 1. ay. l. 3. f. 5. Ex dictis re-  
soluntur sequentes Casus.*

I. Audire laudem alterius, vel suam, dere-  
mortaliter mala, peccat mortaliter, si appro-  
bet, suscipiat, admiretur ut laude dignum.  
*Sanch. Bald. d. 29. l. 3.*

II. Vituperans alium ob vindictam non sum-  
ptam, aliudve grave malum vel peccatum o-  
missum, v.g. fornicationem, peccat mortaliter,  
quia est species jactantix, & est cum approba-  
tione peccati, & occasio committendi. *ibid.*

III. Inducens in civitatem novos habitus, &  
prævidens, quod suo exemplo moralem neces-  
sitatem imponat aliis, ut sumptus faciant supra  
vires, & postea non possint alere, quos debent,  
vel creditoribus non satisfacere, peccat gravi-  
ter. *Baldell. l. 6.*

IV. Exornare se nimium ex animi levitate,  
vel vanitate, per se tantum est veniale, *ibid.*

V. Simulare sanctitatem cum voluntate non  
habendi, mortale esse dicit *Baldell. l. 6.*

VI. Simulare improbitatem, est peccatum,  
quia est mendacium, & quidem scandalosum  
potestque esse mortale. Neque id fecerunt San-  
cti, nisi faciendo id, quod ex se est indifferens, &  
permittendo ab aliis accipi, ut signum impro-  
bitatis, cum tamen nec ex natura sua, nec ex  
eorum intentione esset tale.

## A D D E N D A.

299. Q. 4. *Quid præterea sit hic notandum.* R. Hæc pauca: 1. Quomodo præterea peccetur per superbiam, videri potest n. 204. ad 4. 2. Ut jactantia de peccato mortali sit mortalis, debet esse de opere, quatenus fundat malitiam, nam qui se jactat tantum, non de opere ipso, sed de sua fortitudine, ingenio, artificio, dexteritate in opere ipso demonstratis, non peccat mortaliter, uti rectè *Sanch.* in Dec. l. 1. c. 3. n. 12. & *Spoer* Th. mor. p. 1. t. 1. c. 6. n. 45. 3. Si opus tuum mortaliter malum laudetur, & ideo tibi complacet, peccas mortaliter, quia approbas & complacentiam habes in objecto mortaliter malo: si autem tantum taceas, non ideo peccas, saltem mortaliter. 4. Non est turpior superbia, quam affectata humilitas, quæ tum est, quando ex humiliatione quaeritur æstimatio vel honor. Humilitas est virtus sincera, nolens videri sed esse & regi.

## D U B I U M II.

*Quid Avaritia.*

300. R. Esp. I. Est inordinatus appetitus temporalium: Unde ex hoc, & regula supra tradita de peccato mortali, resolves sequentes Casus,

- ” I. Est ipsa ex genere suo venialis.
- ” II. Cùm verò ad exercet, ut ejus causâ divinas leges prævaricari non dubites, fit mortalis.
- ” III. Prodigalitas, quæ opponitur avaritiæ, &

con:

confistit in defectu conservandi, & excessu ero-  
gandi, est ex genere suo venialis: levior quàm  
avaritia, quia minùs abit à virtute liberalitatis.  
Interim mortalis fit, si liberis & uxori pauperi-  
em crees; si impotentem te reddas ad solvenda  
debita; si profundas bona Ecclesiastica piis  
causis obnoxia, *V. Less. l. 2. cap. 47. d. 8.*

Resp. II. Filia Avaritiæ sunt sequentes:

I. Obduratio cordis, (contra misericordiam)  
egenis & pauperibus non compatiendo, eos ob-  
jurgando, debita durè nimis exigendo, quando  
creditor non est solvendo, &c. Hac aliquando  
peccari potest mortaliter, quando præceptum  
elemosynæ vel charitatis urget, & tamen ex  
tali duritia non subvenitur. *Nav. cap. 27. Tol. l. 8.  
cap. 26. V. dicta de charitate proximi.*

II. Inquietudo cordis, hoc est, vehemens &  
inordinata applicatio mentis ad acquirendas  
vel conservandas divitias, cum inani & vano  
timore, ne non acquirantur, vel perdantur. Est  
mortalis, quando retrahit à spiritualibus, vel  
aliis, ad quæ ex præcepto gravi obligamur,  
(v. g. auditione Missæ) vel inducit superfluum  
timorem, & ex hoc diffidentiam erga Deum.  
Venialis est, si sit de re bona, sed tempore vel  
loco indebito; v. g. de familia, messe, vindemia,  
quando quis est in templo, vel vacandum est  
Deo. *S. Thom. 2. 2. q. 55. a. 6. Regin. l. 23. c. 2. q.  
3. Escob.*

III. Violentia mortalis est, quando est injusta,  
& circa materiam gravem.

IV. Fallacia, sive dolus in verbis, potest esse  
mortalis, ratione finis vel mediolorum.



V. Fraus, five dolus in facto. Est mortalis ex genere suo, contingitque multipliciter in contractibus, tam ratione materiz (v. g. si ea vitium habet, vel non sit qualis existimatur) quam ratione pretii. Nav. manual. 6. 23. Tol. 6. 47. Es/cob.

VI Proditio, quæ est deceptio proximi contra fidem datam aut debitam, in damnum illius: mortalis est ex genere suo: Contingit ferè tripliciter, 1. Circa personas; quomodo Judas Christum, Dalila Samsonem prodidit. 2. Circa res vel immobiles, (ut si miles manifestet hosti modam capiendi arcem) vel mobiles, ut si precariam, vestem &c. cujuspiam absconditam, prædoni ostendas. 3. Circa secretum, vel sibi commissum revelando, (quod est contra fidelitatem & justitiam, si quidem promissum fuit, quia est pactum onerosum, ut docet Lug. d. 14. nu. 139. & quidem mortale, si prævidere possis inde futurum notabile aliorum damnum, vel discordiam; alias veniale) vel alienas litteras aperiendo, & legendo: Quod postremum, si fiat ideo, ut sciat secreta alterius, est curiositas; & si sit in re gravi, per se est mortale: Quod quia communiter ante apertionem nescitur, communiter esse mortale, docet Tol. cap. 45. Baldell. l. 3. d. 11. Nav. c. pen. d. 6. de poen. Mol. Laym. l. 3. t. 3. p. 1. cap. 4. (qui addit, eum, qui dolose alienas litteras aperit & legit, cum alterius injuria vel damno, crimen falsi committere) Dixi. Per se esse mortale; quia per accidens potest esse veniale, vel nullum, si legitima auctoritate, justa ex causa fiat. Unde resolvuntur Casus seqq.

I. Litteras alienas aperire & legere, sæpe non est peccatum, si probabiliter scias, scriptas esse in tuum injustum damaum; vel in injuriam tuam cedere, quam intendas avertere, quia potes tibi consulere: Sic Princeps potest aperire litteras, non tantum hostium, sed etiam aliorum, quæ tempore belli, ex locis finitimis hostium veniunt. Item ministri publici, quoties bono publico necessarium esse judicant. *Nav. manual. c. 18. Reg. l. 24. n. 60. Escob. Lug. n. 148.*

II. Communiter etiam peccatum non est, si consensus expressus habeatur ejus, à quo vel ad quem mittuntur, (neque lex specialis veter, *Lugo l. c.*) vel tacitus saltem; ut si facias sub rati habitatione, confidens rationabiliter, habitum iri ratum. Ita *Escob. ex Nav. Regim. Sc. l. c.*

III. Superior Religiosus litteras suorum subditorum, (dummodo non mittantur ad Superiorem majorem, vel talem quem statuta eximant, nec ab eo veniant) licite aperit, & legit; sive ex Religionis statuto aut consuetudine, sive ex suspitione probabili, quod mali aliquid contineant. *Vid. Escob. Peyrinum de Relig. tom. 1 q. 2. cap. 1 Dian. p. 3. t. 6. R. 55.*

IV. Nec est peccatum, si necesse sit vel expediat ad injuriam alteri imminuentem avertendam, dummodo non pius legatur, quam ad eum finem necesse est. *Lug. l. c.*

V. Qui aperit & legit, existimans non contineri res magni momenti, venialiter tantum peccat, *Lug. l. c.*

VI. Si litteras ab alio dilaceratas, & in publicum à domino abjectas, recolligas, & junctis partibus legas ex sola curiositate, peccatum veniale

»niale est: nullum autem, (per se-) si, ut ex illa  
 »notitia tibi provideas; quia quod pro derelicto  
 »habetur, in usum suum convertere licet. Bal-  
 »dell. ex S. Anton. & Rosel. Sylv. V. emptio q. 17.  
 »Lay. n. 4. Dia p. 3. t. 6. misc. R. 55. Rectè tamen  
 »notat Laym. l. 6. talem ex charitate teneri non  
 »manifestare secretum iis contentum, si dam-  
 »num inde cuiuspiam provenire possit: imò  
 »(addit) revelans ejusmodi secretum (cujus  
 »notitiam etiam justè acquisivit) contra justiti-  
 »am peccabit, si intell'gar audientes eà notitiã  
 »usuros ad damnum injustè inferendum: V. Lay.  
 »l. 6.

» Dixi I à domino projectas: quia si vel ab alio  
 »projectæ, (domino inscio) vel ab ipsomet casu  
 »perditæ fuerint, non licet legere.

» Dixi II. In locum publicum, quia si in ignem, vel  
 »fornacem, v. g. projectæ sint, ut comburantur,  
 »peccas, si extrahas & legas. V. Lug. d. 15. n. 150.

» Dixi III. Per se; quia fieri potest, ut ea conti-  
 »neantur, quorum lectio sit perniciosa.

» VII. Qui furtivè scripta alterius secreta, ipso  
 »invito legit, peccat; Et 1. quidem peccato cu-  
 »riositatis; etsi faciat animo discendi, & sine  
 »suspensione damni. 2. Injustitiæ; quia quisque  
 »habet jus secreti in suis scriptis, quæ aliis non  
 »vult esse communia. Navar. cap. 15. Molin. tom.  
 »5. d. 36. nu. 2. Regim. l. 24. cap. 6. nu. 19. Potest-  
 »que aliquando esse mortale, si nimirum fiat  
 »cum notabili damno, vel alter valde cupiat esse  
 »secreta, gravissimèque sit laturus. Baldell. d. 11.  
 »V. etiam Lugo l. 6.

» VIII. Quicumque secretum violat absque ju-  
 »sta causa, cum alterius damno, vel qui liceret

alte-

alterius injustè aperit, ex quo damnum alteri  
sequitur, tenetur ad restitutionem. *Bon. d. 2.*  
*de rest. q. 1 p. 1. Trull. l. 7. cap. 10. d. 32.*

Nihil occurrit hìc addendum: sed circa aper-  
tionem Litterarum vel prodicionem secreti, vi-  
deri possunt etiam dicta l. 3. p. 2. n. 1236.

## DUBIUM III.

*Quid Luxuria.*

**R**esp. I. Est appetitus inordinatus venereo  
rum, quorum usus cum ex natura sua in-  
stitutus sit ad conservationem generis humani,  
quod est magnum bonum hominum, & exter-  
num Dei, proinde qui abutitur, lædit Deum &  
homines. Est mortalis ex genere suo. *Vid. supra*  
*l. 3. t. 4. cap. 2. & l. 5. c. 1. d. 2.*

Resp. II. Filix Luxuriz, quæ eam plerumque  
sequuntur, sunt octo: quatuor ex parte intelle-  
ctus, & quatuor ex parte voluntatis.

1. Cæcitas mentis; cum quis adeo est addi-  
ctus turpitudini, ut de cœlestibus non cogitet.

2. Præcipitatio; quâ quis ex eadem causa, sine  
consilio operatur.

3. Inconsideratio; quando in modo delin-  
quit, inconsideratè agens, quæ statum vel per-  
sonam dedecent.

4. Inconstantia; quando quis ex eodem affe-  
ctu voluptatum, à piis propositis mox deficit.

5. Amor sui; talis enim homo ob voluptates,  
seipsum finem suarum actionum facit, non  
Deum.

» 6. Odium Dei: lascivus enim solet à rebus  
» divinis abhorrere, imò ab ipso Deo tanquam  
» peccatorum viadice.

» 7. Affectus præsentis sæculi: amor enim vo-  
» luptatum carnalium ita animum efficit, ut sub-  
» inde etiam beatitudini æternæ paratus esset re-  
» nuntiare, si præsentibus frui semper permitte-  
» retur.

» 8. Horror futuri sæculi; quando voluptati-  
» bus immerfus, mortem inordinatè timet, & de  
» ea nolens cogitare, vitam illicitis mediis pro-  
» pagare studet &c.

» Priores quatuor sunt mortales, quando finis  
» ultimus in creatura ponitur, vel præceptum a-  
» liquod Dei graviter obligans, prætermittitur:  
» Posteriores quatuor, si plenus sit voluntatis  
» consensus, per se sunt mortales; ex indelibera-  
» tione, vel alia actuum imperfectione, sæpe ve-  
» niales. Vid. Esrob. & Baldell. ll. 66.

## A D D E N D A.

302. Q. 49. Quid sit præterea notandum circa luxu-  
riam &c. Quæ hic addi poterant, jam dicta sunt,  
partim l. 3. p. 1. à n. 888., partim hic à n. 77.

## D U B I U M IV.

Quid Invidia.

303. » **R**esp. Est tristitia de alterius bono, prout il-  
» lud est diminutivum propriæ excellentiæ,  
» ita ut hæc directè sit contra charitatem; hæc e-  
» nim gaudet de bono proximi, quod invidia de-  
» structum

structum optat, vel non destructum dolet *Un-*  
*de resolves.*

I. Est ex genere suo mortalis; & gravissima  
 quidem, atque in Spiritum Sanctum, si sit de  
 ipsa gratia, vel auxilio Dei.

II. Filiae similiter ex genere suo mortales sunt,  
 ac numerantur hæ: 1. Odium, de quo *suprà. 2.*  
 Detractio, de qua in *prac. 3. 3.* Gaudium in malis  
 proximi. 4. Susurratio, quæ est oblocutio mala  
 de proximo, ad tollendam amicitiam ipsius  
 cum aliis; quam proinde susurro restituere te-  
 netur, & iterum reconciliare, non secus ac de-  
 tractor famam. *V. in prac. 8.*

III. Si tristitia sit de bono alterius, in quan-  
 tum ex eo tibi vel aliis times nocumentum  
 (v. g. inimicus tuus est sivectus ad officium, ut  
 tibi facilius possit nocere,) non est invidia, sed  
 timor, qui per se non est peccatum, nisi sit inor-  
 dinatus *Lay. l. 3. c. 3. cap. 10.*

IV. Si tristitia sit ex eo, quod nobis desit bo-  
 num, quod alter habet, ita tamen, ut illud al-  
 teri non discupiamus, non est invidia, sed æmu-  
 latio seu zelus: qui si est circa bonum hone-  
 stum, est laudabilis; si autem circa temporalis,  
 interdum est veniale; aut si bonum dolenti sit  
 improporionatum, quale esset, si rusticus do-  
 leret se non esse Regem. *Lay. n. 2.*

V. Si tristitia est ex bono alterius, in quantum  
 ille est indignus, non est invidia, sed indigna-  
 tio; quæ non est peccatum: erit tamen, & qui-  
 dem mortale, si vel Dei providentiam arguat,  
 (estque blasphemia) vel si ita afficiat, ut ducat  
 homines ad malum imitandum. *Caj. Lay. l. 6.*

VI.

» VI. Si doleas, quod alter tibi æqualis, vel  
 » non multum inæqualis, in excellentia crescat,  
 » ita ut te fiat superior, & ipsum incrementum  
 » excellentiæ apprehendas, ut tibi malum, est  
 » propriè dicta invidia: invidus enim dicitur,  
 » quod non sit videns, quia bona alterius sine  
 » tristitia videre non potest, *Baldel. d. 29. l. 3.*  
 » Et sic peccare solent, 1. Ambitiosi, & qui ex re  
 » aliqua quærunt gloriam, quam cum in eo po-  
 » nant, ut in illa re sint soli ac singulares, dolent  
 » & tristantur, si alii accedant. 2. Pusillanimes,  
 » quibus cum omnia videantur magna, quovis  
 » bono alterius putant minui suum; sic mulieres  
 » v. g. facile apprehendunt, ac dolent, se superari  
 » bono alterius, v. g. formositate. 3. Senes res-  
 » ctu juvenum, & quicumque aliquid difficulter  
 » obtinuerunt, quod alii facile consequuntur.  
 » *Bald. loc. cit.*

» VII. Qui in adversis suis, vel ob aliorum  
 » prosperitatem, optat se non fuisse natum, vel  
 » se brutum animal factum fuisse, vel diem esse  
 » maledictum, quo natus est vel alterum primò  
 » vidit, aut conjugem accepit; si tantum inten-  
 » dat maledicere irrationali creaturæ, v. g. diei  
 » (sive sit nativitaris, sive conjugii) qui tot mala  
 » culpæ vel pœnæ protulit, videtur esse tantum  
 » veniale, (aliquando etiam nullum, ut Jabi) si  
 » autem deliberatè intendat optare malum ho-  
 » mini, sive sibi, sive alteri, illo die natis, vel  
 » conjugatis, mortale est. *Escob. & Marchant. man.*  
 » 6. 3.

## A D D E N D A.

304. Q. 50. Quid circa invidiam sit præterea notandum.  
 R. Seqq. §. 1.

§. 1. *Tamb. in Decal. l. 5. c. 1. §. 3. n. 37.* dicit non esse invidiam nec peccatum, si quis tristetur de bono alterius, in quantum verè est imminutivum propriæ excellentiæ, quis potest de hac imminutione tristari, ergo & de ejus causa, sic enim tristatur de bono proximi, non per se, sed tantum per accidens, prout est malum suum. Doctrina illa in praxi est difficilis, nisi supponatur motivum doloris & objectum displicentiæ esse solum suum malum: unde sicuti non licet tristari de vita alterius ob emolumentum temporale, nec gaudere de morte parentis propter hæreditatem, uti constat ex damnatione prop. 13. & 15. facta ab Innocent. XI. quamvis licitè desideres emolumentum tuum & hæreditatem, ita & hîc.

§. 2. *Burgh. c. 1. c. 88.* rectè dicit, si mercator 305. doleat homines non emere potius apud se quàm apud alium, esse æmulationem licitam; si autem doleat, quia hoc est bonum alteri, & ipse ideo negligitur, est invidia; sed putant *Lorca & Burgh.* esse tantum venialem, quia non absolutè dolet de bono proximi, nec hoc videtur ita graviter opponi Charitati, nisi ex illo affectu moveatur ad removendum illud bonum proximi.

§. 3. Naturalis partus invidiæ est detractio, 306. de qua dictum est l. 3. p. 2. à n. 1190. Commititur autem etiam his aut similibus verbis, *nolo detrabere, nihil mali ipsi voveo &c. hoc doleo, quòd sit talis vel talis &c. quàm dolendum est, quòd ille homo hoc faciat, &c.* Hæc omnia proficiscuntur ex corde invido vel inimico, & re ipsa lædunt alienam famam: & licet fortè nihil in particulari dicatur, tamen si ostendatur ejusmodi displicentiæ circa alte-



alterum, semper hæret animo auditoris aliquid  
malæ existimationis infixum.

De odio, videri possunt dicta l. 2. à n. 182.

## DUBIUM V.

*De Gula.*

### ARTICULUS I.

*Quid sit Gula.*

307. **R**esp. Ea est inordinatus appetitus cibi &  
potus: opponiturque abstinentiæ, & com-  
mittitur 5. modis, 1. Si edas ante tempus. 2.  
Si nimis exquisita. 3. Si plus iusto. 4. Si voraci-  
ter. 5. Si nimis exquisitè præparata. *Lay. l. 3. f.*  
*4. n. 2. Unde resol.*
- I. Gula ex genere suo est peccatum tantum  
veniale; quia nullus horum modorum repu-  
gnat præcisè charitati Dei, vel proximi.
- II. Hinc probabile est, quod docet *Nav. Tol.*  
& non repugnat *Lay.*, secluso scandalo &  
aliis, veniale tantum esse usque ad vomitum se-  
cibo & potu implere; idque etiam, si quis vo-  
mat, ut iteratò possit bibere: quod tamen *Sa V.*  
Comedere, alique multi, putant mortale. *V. Balde*  
*Escob. t. 2. E. 2. c. 5.*
- III. Vix dubium est, licere esu aut potu, ali-  
terve creare vomitum, si is salubris esse iudi-  
cetur.
- IV. Mortalis interim censetur crapula ex ac-  
cidente, & nimia inordinatione, in his casibus,

1. Si quis gulæ causâ violet jejunia Ecclesiæ. 2. Si quis ex gula notabiliter ineptus fiat ad fun-  
ctones, ad quas sub mortali tenetur. 3. Si quis  
valde graviter valetudini noceat, id advertens;  
secus, si leviter tantum; ut v. g. si febricitans  
haustu aquæ morbum augeat. 4. Si continua  
fiant comestiones & comotationes, ita ut  
venter pro Deo habeatur. 5. Si quis bibat ad  
perfectam ebrietatem, de qua *infra*. 6. Si quis ex  
mera gula vescatur carnibus aut sanguine hu-  
mano; tum quia id repugnat pietati defunctis  
debitæ; tum quia est contra instinctum naturæ  
abhorrentis. Excusandum autem erit, si fiat  
causa medicinarum, aliâve justâ causâ, v. g. extremæ  
famis in obsidione; in qua tamen sic vitam  
conservare non tenetur. *Sanch. 1. mor. cap. 18.*  
*Less. Lay. nu. 3. Sa, Bon. Baldell. l. 3. c. 29.* Sic et  
iam excusant quidam lictores istos, qui ut offi-  
cium suum melius administrarent, haustu san-  
guinis humani se animare dicuntur, præser-  
tim cum sanguis secundum multos, animatus  
non fuerit. *V. Aut. cit.*

V. Ex genere quoque suo venialia sunt, quæ  
sunt Gulæ dicuntur; nimirum ex parte animæ,  
1. Hebetudo mentis seu stupiditas nata ex cra-  
pula, v. g. ut non possit orare, &c. quæ fit mor-  
talis, quando quis inordinate bibendo vel co-  
medendo voluntariè, fit ineptus ad intelligen-  
da vel præstanda ea, quæ ad salutem illi sunt  
necessaria: vel ad quæ ex officio, aut aliâ sub-  
gravi peccato tenetur. *Baldell n. 15.*

2. Inepta læticia, per quam intelligitur non  
quævis inordinata quæ omne peccatum sequi-  
tur, sed quæ movet ad cantiones obscenas,  
actus

actus

actus turpes, saltus, vel choreas inhonestas, &c.  
 fitque mortalis, quando est inductiva alterius  
 ad consensum, vel delectationem mortalem,  
 vel ad eam ordinatur. *Ibid.*

3. Multiloquium.

4. Scurrilitas, quæ ab inepta læticia, & multiloquio differt, quod illa fit in appetitu, istud in verbis: hæc in verbis & gestibus; diciturque semper aliquam inhonestatem, licet (per se, & secluso scandalo) venialem; v. g. scurrilia dicere, vel canere, ventum emittere, &c. ex levitate ad risum excitandum: mortale tamen esset, si fieret causa delectationis venereæ. *Baldell. l. c. Escoth. 2. E. 2. c. 4.*

Ex parte corporis, Immunditia, Vomitus, & Seminis effusio: Quæ ultima, si voluntaria sit, mortale est. *V. Laym. l. 3. f. 4. Less. l. 3. c. 3. Baldell. l. 3. c. 29.*

A D D E N D A.

308. Q. 51. Quid præterea notandum sit circa gulam. *R.* Præter dicta n. 204., videri potest *Gob. in Quin. t. 5. c. 23.*, ubi s. 2. comprehendit species gulæ hoc versu, præpropere, laute, nimis ardentem, studiosè, & de eis fuse discurrit. *S. 3. subs. 2. 3. & 4.* examinat, an liceat vel sit obligatio comedendi carnes humanas in extrema necessitate, vel pro medicina. *Subs. 4.*, etiam agit de potu sanguinis humani. *Subs. 5. & 6.* agit de comestione carniùm crudarum, cereæ, cretæ &c. *Cap. 29. f. 3.* examinat, an liceat bibere sanguinem picudum, vel lixivium.

309. Q. 52. An comedere sine necessitate pertineat ad vitium gulæ. *R.* Negant *Maj. & J. Sanch.*, sed dicendum

endum est esse, uti cum S. Aug. docet S. Th. 1. 2. q. 148. a. 1. ad 2., quia est inordinatio plus cibi sumere, quam conveniat sustentationi naturæ & bonæ habitudini corporis: est tamen tantum veniale, per se loquendo.

Q. 53. An sit licitum intendere delectationem, que capitur ex cibo & potu moderato. R. S. 1. Maj. J. Sanch. Bass. & alii cum Moya t. 1. tr. 6. d. 2. q. 3. affirmant velut probabile, quia talis delectatio, secundum dicta l. 3. p. 1. n. 894., non est de se mala, unde si absit immoderatio, non videtur tali actui plus malitiæ inesse, quam si quis se recreet audiendo musicam, spectando florem, odorando rosam, in quibus nihil videtur esse malitiæ, ergo licitum erit talem delectationem directe intendere: supponunt autem hi auctores cum S. Bonav. Scoto & ejus schola, Vasq. Arr. Ovid. Avers. Gob. in Quin. t. 5. c. 1. à n. 106. aliisque plurimis, posse dari actus humanos in individuo indifferentes; quos alii plures admittunt saltem per accidens dari posse ratione ignorantiz invincibilis vel inadvertentiæ, cum major pars hominum ignoret, aut, quando operandum est, non cogitet de obligatione referendi omnes actiones suas ad finem honestum. Ex eodem fundamento docent multi, quos refert Moya à n. 17., conjugii licitum esse intendere copulam propter delectationem. E contra damnatio hujus 8. prop., facta ab Inn. XI. reddit opinionem illam difficilem, Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui. Pro explicatione sit,

311. §. 2. Satietas potest duo significare, vel comestionem talem, quâ satisfiat fami; vel talem, quæ fiat in majore quantitate, quàm requirat sustentatio naturæ: si sumatur primò modo, comedere ad satietatem nullum est peccatum; si secundo, est peccatum, uti ex SS. *Aug. Greg. J. sid. & Th. probat Carden. in 2. crisi d. 7. n. 26.*, quia in hoc est aliqua immoderatio.

312. §. 3. Si quis voluptatem de se indifferentem, quæ capitur ex cibo vel potu, referat ad honestum finem, nullo modo peccat, uti cum *S. Aug. tenent Palav. & Gob. n. 97.*, unde si quis comedat cibum necessarium propter voluptatem, referendo hanc voluptatem ad comestionem & utilem digestionem, sicuti revera à natura refertur ad eam, ideo enim voluit Deus esse voluptatem in cibo, ut sum comedamus & nutriamur, sicque referamus ad sustentationem vitæ; in hoc nihil est peccati, sed omnino ordinatè agimus, secundùm finem à natura & Deo intentum: neque verum est, quòd tum comedamus propter solam voluptatem aut propter voluptatem tanquam finem ultimum, sed comedimus propter voluptatem subordinatam alteri fini honesto, nempe sustentationi vitæ, *Carden. n. 12.*

313. §. 4. Qui comedit vel bibit propter solam voluptatem, saltem venialiter peccat, quia agit contra finem & ordinem à natura & Deo intentum in esu ac potu, qui est sustentatio vitæ: ille autem tantùm censetur comedere vel bibere propter solam voluptatem, qui bibit vel comedit, quia in hoc est voluptas seu delectatio gustus, ibi sistendo; quod potissimum facit ille, qui comedit vel bibit aliquid superfluum, non necessa-

necessarium, nec utile ad sustentationem vitæ, nam si sit utile ad sustentationem, tum saltem virtualiter assumitur, non propter solam voluptatem, sed etiam propter sustentationem vitæ, nisi sumens expressè aliter intenderet, Carden. n. 29.

§. 5. Audire musicam, videre flores, olfacere rosam aut alia sensuum oblectamenta quærere propter solam voluptatem, est veniale, quia Regula omnium delectabilium in hac vita, secundum S. Th. 2. 2. q. 141. a. 6., est necessitas aliqua hujus vitæ, vel utilitas, vel convenientia, ergo si tales actus delectationis quærantur vel habeantur sistendo in tali delectatione, agitur contra ordinem rectæ rationis & naturæ: tum autem non sisto in delectatione, si bibam, ut reficiam naturam; si audiam musicam ad pellendam tristitiam; si olfaciam aromata ad confortandum caput; si inspiciam colores ad habendam scientiam experimentalem rerum coloratarum, aut si similia delectabilia assumam ad honestam recreationem naturæ fessæ laboribus &c., tum enim nihil peccatur, quia ordinantur ad conveniens esse vitæ, sicque non assumuntur ob solam voluptatem.

§. 6. Quando dicitur, quod appetitus naturalis licitè possit actibus suis frui, sensus est, quod licitè possit gaudere de delectatione procedente ex suis actibus tanquam de fine obrento, adeoque quod possit gaudere propter solam voluptatem seu sistendo in delectatione, nam *Tò frui* dicitur respectu finis obrenti; è contrà *uti re*, dicitur respectu mediorum assumptorum ad finem, ideoque Seneca l. de vita beata c. 10. agens cum quodam

dam Epicuri discipulo ait, *tu voluptate fruere, cogitor: simili modo loquitur S. Th. 1. 2. q. 88. a. 1. ad 3.*, ubi explicans *S. Aug. eadem locutione utentem ait, qui peccat venialiter, inhaeret bono temporali, non ut fruens, quia non constituit in eo finem, sed ut utens, referens in Deum, non actu, sed habitu: Ex quo sequitur, quod appetitus naturalis non possit licite frui suis actibus, posse tamen eis uti, id est, posse moderatam delectationem de se indifferentem percipere, dummodo referat ad alium finem honestum.*

316. §. 7. Haec tenus dicta valent etiam de actu copulae inter conjuges, hinc *Inn. XI. damnat hanc prop. 9.*, *Opus Conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali: de qua propositione plura dicentur l. 6. p. 3. quando de Matrimonio. Ex his dictis,*

317. Colligitur, Sententiam *S. Th. 1. 2. q. 18. a. 9. Suar. Bellarm. Fill. Laym. Rayn. Palav. Haun. & aliorum ferè innumerorum, quod non deatur actus humani in individuo indifferentes, videri conformiorem damnationi propositionum, adeoque si actus aliquis fiat modo humano, id est, cum advertentia & reflexione ad fines honestos vel inhonestos, esse obligationem illum referendi ad aliquem finem honestum: & sic saltem mediatè ad finem ultimum & Deum ipsum, qui est prima regula omnis honesti. Conf. nam si quis aliquid faciat intendendo laudem suam & sistendo in illa, peccat venialiter per vanam gloriam vel superbiam, quamvis laus sit bonum honestius quàm delectatio cibi vel sensuum, ergo multò magis si intendat aliquam delectationem sensuum, sistendo in illa. Atque ex his me-*

sius  
obli  
Vid  
17  
esse,  
nam  
pr  
nes  
gent  
testq  
que

D  
quid  
surus  
num  
& om  
placi  
ipso  
prim  
In  
ras d  
mnit  
nibu  
mo  
es in  
es p  
finu  
infin  
nore

sius intelliguntur illa, quæ diximus à n. 108. de obligatione referendi omnes actiones in Deum. Vide etiam dicta l. 2. n. 132. Ex hinc dictis,

*Inferes*, Non tantum utile, sed necessarium esse, suis operibus præfigere intentionem bonam, præsertim manè: est tamen renovanda per diem, alioqui desinet, nec influet in actiones disparatas, maxime si per culpas aut negligentias etiam tantum veniales dissipetur: potestque formari hoc vel simili modo pro cuiusque devotione & affectu:

*Formula Intentionis Matutinæ.*

**D**EUS, primum principium & finis ultimus rerum omnium, ecce opera hujus diei, & quidquid unquam alias facturus sum vel passurus, in unione omnium actionum & passionum Christi filii tui, Beatissimæ Virginis Mariæ & omnium SS. tuorum, in unione omnis beneplaciti tui, ac præcipue illius, quod in te de te ipso habes, offero Divinæ Majestati tuæ, imprimis,

In agnitionem supremi tui in omnes creaturas dominii & potestatis: in suppletionem omnis laudis & gloriæ, quæ tibi negatur à dæmonibus, damnatis, & peccatoribus: ex sincerissimo desiderio, ut agnoscaris ab omnibus, sicuti es in te Deus infinite perfectus; ut amaris, sicuti es propter infinitam bonitatem tuam amabilissimus; ut colaris & honoreris, sicuti es propter infinitam tuam excellentiam omni cultu & honore dignissimus.

S 3

Offero



Offero etiam in gratiarum actionem pro omnibus in me, in creaturas omnes, ac præcipuè in electos, collatis beneficiis; quia nos creati ex nihilo, acerbissimâ passione redemisti, sanctificasti per gratiam, adduxisti ad veram fidem & hucusque conservas; hisque omnibus vis æternam gloriam superaddere.

Etiam offero in satisfactionem pro omnibus peccatis & negligentis meis: in refrigerium animarum in purgatorio, præsertim illius (*designa aliquam*) ut in cælum admissa te citius videat, amet, laudet & pro me intercedat.

Denique offero ad impetrandum propinquis, amicis, benefactoribus, uti & malefactoribus, incolumitatem; peccatoribus veniam & emendationem; mihi virtutes maximè necessarias, robur ad superanda vitia & tentationes mihi maximè periculosas, gratiam in fine vitæ & beatam mortem.

Quodcumque facio aut faciam, mi Deus, ideo esse volo, quia tibi placet à me fieri, qui propterea dignissimus es, cujus voluntas semper fiat: volo, ut ex hac intentione & purissimo tui amore omnes totius vitæ meæ actiones procedant secundum tuum Sanctissimum beneplacitum: tu dirige & dispone de me, per me, circa me, sicuti scis & vis, pro tempore & æternitate. Amen.

Vitiatur hæc intentio, 1. Si simul intendas sensualitatem & commoditatē tuam. 2. Si quaeras per tuum opus placere hominibus; gaudeas te ideo æstimari, amari, laudari, ideoque optes illud resciri vel videri. 3. Si sciens Dei gloriam magis vel æquè promoveri per opus occultum aut

aut vilius, tamen malis facere publicum aut honoratum. 4. Si cum perturbatione, anxietate aut impatientia quæras aliquid agere, conquereudo & turbando teipsum vel alios, si differatur vel non permittatur. 5. Si turberis, quando aliquid non succedit tibi gloriose. 6. Si ideo facias, ut te non redarguat conscientia; ut quietus sis & interiore pace fruaris; ut tibi ipsi satisfacias, ut tibi ipsi vel aliis non videaris malus. 7. Nec ipsum gaudium & consolatio in actione bona est certum signum puræ intentionis, sæpe enim illa interna solatia amantur propter se & non propter Deum, quod tum est, si tamdiu duret dilectio, quamdiu durat dulcedo. *Richardus in Cant. c. 6.*

## ARTICULUS II.

*Quid sit Ebrietas.*

**R**esp. Malitia ebrietatis plenæ & perfectæ, in eo consistit, quod quis sine justa & gravi causa, tantum ob voluptatem, aut ingluviem, sciens, volens privet se usu rationis; non simpliciter, id quod fit in somno, modo naturali instituto ab auctore naturæ, ad virium & imaginis Dei conservationem; sed violenter, & modo innaturali, rationem perturbando, & Dei imaginem deturpando, in modum amens, bruti, ac simul insuper privando se proximâ potestate utendi ratione, ad omnem subitam necessitatem. Ita docent commun. Doct.

*Unde resolves,*

I. Perfecta ebrietas, quâ prædicto modo ratio

»tio planè sopitur, est ex genere suo mortale,  
 »quia censetur Deo injurium, ejus imaginem sic  
 »deturpare. Est communis Doct.

» II. Non est peccatum, inebriare se ex præscri-  
 »pto Medicorum, si aliter sanitas recuperari non  
 »possit. *Sylv. Cajet. Laym.*

» III. Nec item est peccatum, si quis cogatur  
 »intento ense. *V. Less. l. 4. c. 3. d. 4. n. 37. Azor, Re-  
 »gin. Baldel.*

» IV. Mortale est, alium inebriare velle, vel  
 »provocare ad æquales haustus, cum intentione  
 »inebriandi, aut advertentia secutura ebrietatis  
 »in se aliove. *Less. l. c.*

» V. Si justa causa est, ut v. g. si grande malum  
 »non possit aliter impediri, nisi aucter inebrie-  
 »tur, licet eum inducere ad ebrietatem, quæ sal-  
 »tem ipsi non sit voluntaria, ut scilicet præter  
 »intentionem, ideoque inculpabiliter inebrie-  
 »tur, v. g. viam fortissimum, aut medicatum  
 »propinando, cujus vi ignoratâ decipiatur. Unde  
 »sic posses inebriare eos, qui alioqui essent pro-  
 »dituri urbem, vel te abducturi. *Less. l. c. & Santh.  
 »l. 2. de Mat d. 11. An verò hoc casu liceat indu-  
 »cere ad ebrietatem ipsi voluntariam, dubium  
 »est, Less. n. 32. affirmat, quia, inquit, licet sua-  
 »dere & inducere ad minus malum, ut impedia-  
 »tur majus. *Lay. l. 3. s. 4. nu. 6. rectius negat, quia  
 »nullo casu licet inducere ad peccatum.**

» VI. Si quis non prævidit periculum ebrieta-  
 »tis, & sic vino captus est, aut in auram exiens,  
 »vento turbatus est, nec hoc prævidit, vacat cul-  
 »pâ: Unde multi excusantur, qui prudenter sæpe  
 »judicant, adhuc se haustulum facere posse sine

noxâ:

noxa: desinent tamen prudenter id iudicare, si  
contrariam de se experientiam habeant. »

VII. Si quis post potum discernere adhuc  
possit inter bonum & malum, licet non nihil  
phantasia turbata sit, aut sequatur vomitus,  
lingua titubet, pedes vacillent, oculi cernant  
duplicita, vel domus gyrari videatur, nondum  
plena est ebrietas, ideoque tantum peccatum  
veniale, quamvis ex gravioribus, si deliberate  
fit commissum. *Vid. Laym. loc. cit.* »

VIII. Plena ebrietas notatur ex his signis,  
quæ dat *Less. num. 30. & Regin. 1.* Si quis non  
meminerit dictorum, factorum, quomodo vel  
quando domum deductus. 1. Si commisit ea,  
quæ nunquam aliàs sanâ mente solet, v. g. si  
præter morem turpia sit locutus, turbarit do-  
mum, uxorem verberaverit, &c. »

IX. Mala in ebrietate commissa, si prævisa  
non sunt, aut sit adhibita cautio, culpâ vacant. »

## A D D E N D A.

Q. 54. Quid circa ebrietatem & potationes sit 319.  
præterea addendum. *R. Seqq.*

§. 1. Ebrietas quandoque sumitur latè & qua-  
si materialiter, tumque definitur, *excessus in potu,*  
*sine justa causa factus, usque ad privationem rationis:*  
quandoque strictè & formaliter, prout opponi-  
tur sobrietati, sicque definitur, *excessus in potu,*  
*voluptatis causâ factus usque ad privationem rationis:*  
hinc AA. communissimè in descriptione ebrie-  
tatis meminerunt *concupiscentiæ, delectationis, vo-*  
*luptatis è potu,* uti habent *S. Th. 1. 2. q. 88. a. 5.*  
*ad 5. & 2. 2. q. 150. a. 1. & 2. O. Cajet. ibid. Alen-*  
*sis p. 2. q. 160. memb. 2. Bann. 2. 2. q. 64. a. 7. d.*

5. *Salmer. T. 12. tr. 12. sub med. Azor p. 1. l. 7. c. 22. q. 5. Valent. T. 3. d. 9. q. 3. p. 2. Less. l. 4. c. 3. n. 13. & 37 Laym. l. 3. f. 4. n. 5. Manig. p. 2. c. 7. Pasq. in moral. q. 386. Villal. T. 1. tr. 40. diff. 6. Fagund. de 4. prae. Eccl. l. 1. c. 1. n. 11. Fill. t. 30. n. 12. Dicast. de just. l. 1. d. 3. n. 104. Castrop. t. 7. d. 3. p. 5. Mastrius in mor. d. 15. n. 147. Stoz l. 1. p. 3. n. 519. Bosco de Poen. d. 7. f. 10. n. 344. Bass. V. Gula. n. 5. San-gall. T. 5. tr. 5. f. 3. q. 2. Sporer in Decal. t. 1. c. 7. f. 2. n. 69. Tabern. p. 2. t. 1. c. 3. Gob. in Quin. t. 5. c. 5. f. 2. n. 9. Busenb. supra, Reiff. t. 3. d. 3. q. 6. n. 45. Neuff. d. 24. n. 101. Ratio autem est, quia sicuti ad sobrietatem spectat moderari concupiscentiam potus & delectationem ex illo, ita ad ebrietatem sobrietati oppositam moveri concupiscentiam nimita & delectatione potus. Cum hoc tamen fiat, quod ebrietas etiam illa, quae fit non ex causa voluptatis sed ex alia causa non iusta, v. g. ad alios recreandos, ad vincendum per aequales haustus &c., etiam sit mortalis. Et rationes, quibus probatur ebrietatem etiam unicam esse peccatum mortale, videri possunt apud Gobat c. 6. n. 18. In quo autem praesise ejus malitia consistat, examinatur fuse à n. 26. & 36.*

320. §. 1. Inebriare se formaliter, id est, voluptatis causam, ita est malum, ut nunquam sit licitum; nullus enim potest esse casus, in quo voluptas illa tanti fiat, ut propter illam fas sit exturbare rationem, Gob. c. 18. n. 2., dicens etiam c. 6. n. 52., si quis ex sola voluptate sibi conciliaret violentum lethargum seu talem somnum, qui non posset citius depelli quam ebrietas, eum similiter peccaturum mortaliter: Vide tamen dicenda n. 326. §. 3.

§. 3. Licere se inebriare ex præscripto Medi- 321.  
 ci ad recuperandam sanitatem, si desit aliud me-  
 dium, docent AA. n. 319. citati; item *Silv. V.*  
*Ebrietas. q. 3. P. Ledysm. t. 23. c. 3. Nav. c. 23. n.*  
*119. Tol. l. 8. c. 61. Sa V. Ebrietas. n. 4. Armil. V.*  
*Ebrietas. n. 5. Tann. 2. 2. d. 3. q. 4. d. 3. n. 153. Di-*  
*an. p. 6. t. 7. R. 44. Bonac. T. 2. d. ult. q. 1. p. 1.*  
*prop. 1. n. 3. Naldus V. Ebrietas. n. 2. Jac. March.*  
*in Pastor. p. 2. c. 4. q. 5. Alv. 1. 2. d. 147. n. 4. Re-*  
*gin. l. 22. c. ult. n. 55. Rayn. de virt. & vitiis l. 6.*  
*f. 2. c. 6. n. 113. Baldell. l. 3. d. 30. n. 23. Steph. t.*  
*1. d. 5. n. 76. Loth. t. 18. a. 8. Jo. Poncius d. 22. q.*  
*12. n. 103. Illf. t. 4. d. 1. n. 54. aliique plurimi*  
 cum *Vind. Gab. ad 14. prop. n. 27.* Rationem  
 dant, quia sicuti licitum est se in perpetuum pri-  
 vare brachio vel pede, ut servetur totum cor-  
 pus, ita multò magis ad breve tempus usu ratio-  
 nis; non enim est inebriatio formalis, sed mate-  
 rialis & ex justa causa: ac reipsa talis potus est  
 necessarius ad conservationem vitæ, temperan-  
 tia autem permittit hoc sumere, quod ad illum  
 finem est necessarium, uti habet *S. Th. 2. 2. q.*  
*141. a. 6.* Atque ex his inferunt multi licitum esse  
 se inebriare, si quis mortem intenter, nisi te in-  
 ebrius; sed huic, & etiam priori doctrinæ repu-  
 gnant alii cum *Mendo d. 13. q. 14.*, putantes e-  
 brietatem esse intrinsicè malam, non aliter ac  
 est pollutio, maximè cum ebrietas sit per se cau-  
 sativa iræ, rixarum, cædium, blasphemiarum,  
 impudicitæ &c. Et huic sententiæ quoad ulti-  
 mam partem favet *S. August. serm. 232. de tem-*  
*pore, Etiam si ad hoc veniretur, ut tibi diceretur, aut*  
*bibas aut morieris, melius erat, ut caro tua sobria occi-*  
*deretur, quàm per ebrietatem anima moreretur.* Putat  
 quidem

quidem *Vind. Gob.* à n. 38. rationes allatas facile solvi: quod autem *Sanctum Aug.* attinet, dicunt *Less. Dicast. & Ills.*, illum loqui de casu, quo in contemptum religionis vel virtutis bibendum esset; verum *S. Aug.* id non insinuat; hinc *Gob. n. 12.* suspicatur *Sanctum Aug.* ob probabilitatem contrariæ sententiæ suadere, potius mortem esse oppetendam quàm causandam privationem rationis.

322. §. 4. Nunquam est obligatio se inebriandi, etiam pro conservanda vita, tum quia contraria opinio, quod id non liceat, est probabilis, tum quia nemo tenetur per media extraordinaria conservare vitam, *Gob.* à nu. 43. Quod si ebrietas præscriberetur tanquam medicina, & vita tua esset necessaria *Reip.*, aut si in peccato mortali esses, & semipotus non posses contritionem elicere, adhuc probabile est te non teneri, quia probabile est etiam in illis casibus non licere: Et suppositâ veritate hujus sententiæ, si quis moreretur, ne inebriaretur, putant aliqui fore Martyrem, quia moreretur pro honestate & defensione virtutis, sed cum causa Martyrii credi debeat fide divinâ, sententiæ autem illa, quod tum non liceat se inebriare, sit incerta, difficile est defendere fore Martyrium: nihilominus *Gob. l. 5. & 6.* ex eo probabiliter putat fore Martyrium, quod actus virtutis etiam non præceptus possit esse causa Martyrii, nemo autem negabit talem agere ex virtute sobrietas: & hujus sententiæ videtur esse *S. Aug.* supra, ubi ait, qui ebrietati resistit, si cum Dei adjutrio perseverare voluerit, & pro ipso ille aliquas pertulerit tribulationes, omnia ei Dominus ad Martyrii gloriam reputabit.

§. 5. Ad morbum gravem, etiam non lethalem, curandum aut cavendum, licitam esse inebriationem, docent multi cum *Gob. à n. 15.*, si aliter curari aut caveri nequeat, quia licitum est tantum cibi & potus sumere, quantum necessitas vitæ & valetudinis postulat: & hanc sententiam post *Caj. Tol.* & alios defendunt *Boudevv. p. 1. q. 6.* & alii apud *Mendo q. 14.*, sed hic multo magis contradicent *S. Aug. Angel. Tabie. Mendo & alii.*

§. 6. Si alicui pes esset abscindendus, non liceret inebriatio ad avertendam sensum doloris, quia potus est institutus ad vitam & valetudinem tantum: hinc etiam non liceret inebriatio, ut alium vel in ipsum liberem tristitiâ aut melancholiâ, *Gob. à n. 18.* Licitum tamen est ob has causas bibere usque ad hilaritatem, *Gob. n. 26.* contra *Disast.* Quod si quis etiam recreationis causâ ita comedat aut bibat, ut intra duas horas commodè studere nequeat, putat *Gob. n. 29.* cum peccare, quia Regula temperantiæ plus non permittit, quam quantum satis est ad vitæ & officiorum necessitatem, at tamen non est nisi veniale. Addunt *Escob. & alii* cum *Gob. n. 34.*, si casus esset, ut sitis valde vehementis non posset extinguere, nisi sumpto potu usque ad privationem rationis, id fore licitum, quia finis potus est sitim restinguere, ergo licitum est hanc potu restinguere, quamvis per accidens sequatur ebrietas: sed puto casum illum non esse moralem, cum sitis possit aliter restinguere, & re ipsa potius aliquo tempore ferenda esset sitis & paulatim restinguenda, quam tali violento medio pellenda.

§. 7.



325. §. 7. Nec licita est inebriatio suâ ad confer-  
vandum honorem, cum enim honor non sit  
propriè honorati, neque sit ita necessarius ad vi-  
tam, meritò censetur esse quid minus, quam  
bonum usus rationis, *Gob. n. 7.* Neque licita est  
ad evitandam gravem inimicitiam; ad vitanda  
tamen verbera valde atrocia putat *Gob. n. 10.*  
probabile esse, quòd liceat, sed alii meritò dubi-  
tant. Vide *Vind. Gob. ad prop. 15.*

326. §. 8. *Less.* excusat Indos à mortali, qui ta-  
baco se inebriant, inducendo somnum in se, ed  
quòd privare se ratione per somnum non sit  
peccatum: *Dicast. & Gob. c. 31.* dicunt peccare  
mortaliter, quis etiam potus vini esset mortali-  
ter malus, quamvis in solo somno privaret ra-  
tione: Idem dicunt *Caj. & Valent.*, ed quòd u-  
traque ebrietas fit ob voluptatem quæsita, &  
non tantùm priver usu rationis, sicuti somnus,  
sed etiam potentiâ proximâ ad usam rationis,  
quod non facit somnus, nam homo à somno  
excitatus potest statim uti ratione, è contrâ sic  
ebrius, quamvis excitaretur à somno, non pos-  
set ratione uti. Quod si somnus facilè depelli  
possit, tumque adesset potentia utendi ratione,  
*Gob.* excusat è mortali: hinc etiam omni culpâ  
vacant, qui ex consilio Medicorum hauriunt  
fumum, licet per breve tempus vertigine acti,  
nesciant, ubi sient. Etiam docent *Less. Dicast. &*  
*Gob.* eos peccare graviter, qui cubant super lu-  
pulum, & ejus odore se privant ratione, *Ills. au-*  
*tem t. 4. d. 1. n. 43.* putat talem inebriationem  
non esse graviter prohibitam, quia caret magno  
voluptatis illicio, sed ratio ista non videtur fir-  
ma, nam præcipua malitia ebrietatis desumi-  
tur

tur ex hoc, quod exturbetur ratio sine potentia proxima eam reducendi : & Conf., nam nemo est Dominus sed tantum administrator suae rationis, ergo qui sine sufficiente causa se privat usu & potentia ad illam, graviter agit contra naturam & Deum, sicuti graviter ageret contra jus alterius, qui eum privaret usu & potentia suae domus. Tales tamen aliter quam potu se privantes ratione non debeat confiteri se ebrios fuisse, nam non est peccatum per excessum circa voluptatem gustus, sed addere debent modum, quo id factum est, nam est inebriatio distinctae speciei: hinc etiam docet *Dicast.*, si quis se pane ex malignis granis vel herbis confecto sine causa inebriet, quod fieri potest, esse aliam speciem ebrietatem, quam quae ad potum pertinet.

§. 9. *Ang. Tann. Fagund Gob. c. 6. n. 37. uni-* 317.  
 versaliter docent ebrietatem nullam esse mortalem, nisi diu privet usu & potentia rationis: hinc nemo damnatur cum mortalis, qui subita ira vel gyratione se redditur rationis impositus per *Pater & Ave*; longum tamen tempus videtur esse una hora. Si dicas, usus rationis est in supremo genere bonorum, ergo pejus est per quadrantem carere potentia utendi, quam per mensem centum aureis. R. Etiam Missa est in supremo genere bonorum spiritualium, & tamen qui non persolveret eam, ad quam se liberaliter obligasset, non peccaret graviter, uti tenent multi relati.  
 §. p. 2. n. 775., sunt enim multa in tali superiori genere, quae tamen in certis circumstantiis censentur absolute exigua; Vide *Gob. in Exp. t. 3. n. 489.* Nec valere semper tales comparationes, ostendit *Lugo De Just. d. 14. n. 24.* Vide etiam *Vind. Gob. ad prop. 16.*

§. 10.

328. §. 10. Qui per experientiam scit se communi-  
ter inebriari, quando adit hæc aut illa consortia,  
hoc vel illo modo bibit, tenetur sub mortali  
cavere, nec absolvi potest, nisi hoc proponat,  
ut constat ex dictis à n. 252. Similiter peccat  
mortaliter, qui bibit, sciens adesse periculum  
ebrietatis; ille autem scit adesse periculum, in-  
quit *Gob. in Quin. t. 5. c. 8. n. 20.* citans alios, qui  
bibit, probabiliter putans secururam ebrieta-  
tem, vel timens & dubicans, vel suspicans secu-  
ruram; unde antequam pergat, debet ex pru-  
dente motivo deponere ejusmodi opinionem,  
dubium aut suspicionem, alioquin non potest  
dici habuisse ignorantiam vel inadvertentiam  
secururæ ebrietatis. Quod si quis sciat se multum  
bibendo fore ebrium, si postea in aërem exeat  
aut ushatur, non autem fore, si domi quietus  
maneat, hoc bibendo non peccat graviter, si  
proponat non exire, & soleat servare tale pro-  
positum: quod si servare non soleat, peccat gra-  
viter exponendo se periculo proximo ebrieta-  
tis, *Gob. n. 34.*

329. §. 11. Si quis se inebriet, non advertens ebrie-  
tatis periculum, non peccat graviter, uti dictum  
est à n. 16. Rectè tamen docent *S. Th. Nav. Val.*  
alique communiter eum, qui sæpe fuit ebrius,  
semper sufficienter advertere, vel posse & debe-  
re advertere, adeoque semper peccare morta-  
liter: unde qui confitetur se intra mensem se-  
mel vel iterum fuisse ebrium, si sit vir intelli-  
gens, meritò interrogatur, an præviderit, si au-  
tem dicat intra mensem decies factum, supponi  
debet semper peccasse mortaliter, *Gob. n. 27.*

§. 11. Qui nimio potu causat in se podagram, gravem capitis dolorem, nauseam stomachi ad octo vel plures dies, peccat graviter contra charitatem propriam, uti vult *Gob. c. 10. n. 15. & 20.*, imò & contra jus Dei, abutens corpore & valetudine, cujus Dominus non est sed tantum administrator & custos: & hæc à fortiori tenent *Caj. Less. Baldell. & alii*, qui dicunt nocentem sibi in naturalibus sic peccare, sicut peccaret nocens alteri, si quis autem alteri tales molestias causaret, utique peccaret mortaliter, ergo.

§. 13. Rectè docent cum communi *Dieast. Gob. c. 13. à n. 16. Burgh. c. 3. c. 99.*, cum graviter peccare, qui, quamvis non intendat, tamen ex amicitia & urbanitate, etiam secundum morem patriæ, alium invitat ad haustrum, quibus probabiliter prævidet inebriandum, quia invitat ad aliquid intrinsicè malum & mortale, quod ab altero absque mortali fieri non potest. Hinc etiam graviter peccat, qui sine rationabili causa amicum ad prandium invitat, quem scit communiter redire ebrium, quia exponit illum periculo proximo ebrietatis, *Gob. n. 50.* Conqueritur de ejusmodi incitantibus ad potum *S. Aug. serm. 231. de tempore*, ubi inter cetera hæc habet: *Certâ bibendi lege contenditur, qui poterit vincere, laudem meretur ex crimine.... O infelicitas generis humani! quàm multi inveniuntur, qui ebriosos & luxuriosos amplius, quàm oportet, cogunt bibere, & ante ostium pauperibus petentibus vel unum calicem dissimulant dare!.... Quando animalia ducuntur ad aquam, ubi saturaverunt sitim suam, etiam si supra aquam ipsam diutius teneantur, repletâ siti bibere nolunt omnino nec possunt; considerens ebriosi, se*

Tom. P.

T

non

non peiores animalibus iudicandi sint . . . . Et quod peius est, aliqui clerici, qui hoc deberent prohibere, ipsi cogunt aliquos plus bibere, quam expedit . . . . Si & r. & alium inebriaveris, habebis hominem amicum, habebis Deum inimicum.

332. §. 14. Qui alium ad potationes adducit, si que causa est, ut negligat labores ad sustentationem suorum necessarios, aut ut non possit solvere debita, aut ut furetur, peccat, & tenetur restituere illis, qui talem injuriam patiuntur, quia est causa talium damnorum, quae ex potatione sequuntur, ad quam inducit, *Gob. c. 11.*
333. §. 15. Qui exemplo alium inducit ad ebrietatem, potest peccare graviter ratione scandali: sapienter tamen, qui solent imitari alios bibentes, sunt tales, ut licet non haberent exemplum, se inebriarent; & tum, qui praestitit exemplo, non peccat peccato scandali, *Nav. Laym. Gob. n. 45.*
334. §. 16. Qui, quando potest sine incommodo, non impedit alienam ebrietatem; peccat graviter contra Charitatem: per vim tamen non est aliquis impediendus, nisi imminet extremum malum, quia vim facere spectat ad solam potestatem publicam, *Lugo. Quod si alter negato vino praevideretur, v. g. blasphematurus, permitti deberet ebrietas, utpote minus peccatum quam blasphemia, Gob. n. 54.*
335. §. 17. Qui stultum vel puerum necdum ratione utentem inebriat, per se loquendo non peccat graviter, quia jam antecederet caret usu & potentia proxima rationis: qui tamen puerum saepius inebriaret, videretur peccare, tum quia esset nocet ejus valetudini, tum quia causat in eo habitum malum bibendi, qui utentem ratione

ne ad similes potationes inclinabit, *Caram. Gob.*  
c. 13. à n. 39.

§. 18. Non est licitum alicui per pharmacum 336.  
tollere appetentiam vini, si inde immineat illi  
grave incommodum; alioquin videtur licere,  
quia ordinariè plura bona obveniant abstinenti  
quàm appetenti, *Gob. c. 30.* An autem licitum  
sit dare vel sumere præservativa ebrietatis, tra-  
ctat *Boudevv. pag. 109. & seqq.* Quid verò consilii  
dandum sit marito, qui conqueritur uxorem su-  
am esse bibulam, suggerit *Gob. c. 43. n. 48.* Et  
remedia physica contra ebrietatem, affert idem  
*Gob. c. 51. f. 2.* Moralia autem f. 3. & 4.

§. 19. Propinare in sanitatem alicujus, re ipsa 337.  
apprecando sanitatem, per se loquendo, est lau-  
dabile; sed velle illo potu inducere Deum ad  
sanitatem alteri dandam, foret superstitio, quia  
esset per actum de se indifferentem, & non spe-  
ctantem ad Dei gloriam, velle movere Deum  
ad aliquid faciendum: quod est superstitiosum,  
*Forn. Gob. c. 13. à n. 67.* Bibere autem in fine hau-  
stum, quem vocant benedictionem S. Joannis,  
est etiam, per se loquendo, laudabile, quia fit,  
vel ad significandum, quòd continuanda sit mu-  
tua Charitas, quam S. Evangelista semper com-  
mendabat, vel ad precandum, ut intercedens  
faciat non obesse cibum & potum sumptum, si-  
cuti ipse creditur sine damno venenum bibisse:  
sæpe tamen est per accidens peccatum, uti si pro-  
pinetur illi, qui advertitur esse in proximo peri-  
culo ebrietatis, *Gob. f. 1.*

§. 20. Judex, qui inebriat reum, ut sic inducat 338.  
ad fatendum crimen, multipliciter peccat, 1.  
Quòd inducat ad ebrietatem: 2. Quòd crimen  
eliciat

eliciat non servatâ juris formâ : hinc ex illa scientia, utpote illegitima nec juridica, illicitè procederet ad sententiam vel torturam, *Less. Laym. Gob. n. 37.*

339. §. 21. Si quis ex gravi causa faciat inebriari alterum ad elicienda secreta, quæ alter tenetur manifestare, multi dicunt non peccare, si ad materialem tantum ebrietatem inducat; si autem vult cognoscere talia, quæ alter non tenetur, posset tamen bonâ conscientiam manifestare, videtur peccare, quamvis ad materialem tantum ebrietatem inducat, quia alter est rationabiliter invitatus ad talem inebriationem & modum eliciendi secreta: si vult cognoscere ea, quæ alter bonâ conscientiam revelare non potest, multò magis peccat, *Gob. n. 35.*

340. §. 22. Quamvis ebriis non plus credendum fit quàm fatuis vel somniantibus, *Gob. c. 19. n. 61.*, ideoque non possit Judex in eum, qui in ebrietate crimen de se edicit, nequidem specialiter inquirere, *Gob. à n. 65.*, tamen qui expertus est se in ebrietate sponte solere vera secreta prodere, admittit duplex peccatum, si se inebriet, quia hic exponit se etiam isti periculo revelandi secreta, *Gob. n. 55.* Idem est de illo, qui, dum interrogatur, prodit, si prævideat periculum, ne inebrietur, & sufficienter non præcaveat, *Gob. n. 57.*

341. §. 23. Qui reum ad mortem damnatum & rite dispositum inebriaret, eo fine, ut cruciatus & mortem non sentiret, peccaret graviter, quia hic non est finis potus, neque est ratio sufficiens tollendi rationem tum maximè necessariam; *Tann. Dicast. Gob. c. 13. n. 38.*

§. 24.

§. 24. Injustè in custodia detentus, non peccat 342.  
 inducendo custodes ad materiale ebrietatem,  
 peccat tamen, si inducat ad formalem, etiam si  
 adesset periculum mortis, quia est intrinsecè ma-  
 lum inducere aliquem directè ad peccatum,  
 quidquid contradicere videantur *Less. & Baldell;*  
 Si autem justè detinetur, peccat, licèt ad mate-  
 riale tantùm ebrietatem inducat, partim quia  
 inducit ad aliquid de se malum, secundùm dicta  
 n. 48., partim quia est causa injusta gravium ma-  
 lorum, quæ parientur custodes, *Gob. n. 30.*

§. 25. Licere inebriare eum, qui decrevit ma- 343.  
 lum ingens patrare, si nequeat aliâ viâ impediri,  
 docent etiam plures, uti relatum est l. 2. n. 224.  
 Oppositum tamen velut probabilius tenent ii-  
 dem; item *Arsdek. in qq. singul. q. 11. & Burgh.*  
*cent. 3. cas. 68.*

§. 26. Qui in ebrietate solet percutere uxo- 344.  
 rem & liberos, aut damna inferre aliis, peccat  
 etiam contra pietatem aut justiciam, si se in-  
 ebriet, teneturque compensare damna, si in ebris-  
 tate inferat, cum sint satis prævisa in esusa, ne-  
 que adhibeatur sufficiens præcautio, uti suppo-  
 no, *Gob. c. 19. f. 1.*

§. 27. Qui castitatem amant, fugere debent 345.  
 potationes immoderatas: *S. Paulus ad Eph. 5. v.*  
*18. ait, Nolite inebriari vino, in quo est luxuria: Et*  
*Aristoph. apud Athen. l. 10. c. 15. rectè dixit, vi-*  
*num, veneris las. Similiter S. Hieronym. ad c. 1. E-*  
*pist. ad Titum, v. non vinolentum. ait, nunquam ego*  
*castum ebrium putabo; & Epist. 22. c. 4. vinum & a-*  
*dolescentia duplex incendium est voluptatis.*

De Signis ebrietatis, optimè *Gob. c. 21. ex Ju-*  
*ruris & Theologis.*



De pœnis jure Canonico & civili in ebriosos statutis, vide eundem Gob. c. 21. An autem is, qui in ebriitate aliquem occidit, plecti debeat pœnâ ordinariâ aut extraordinariâ, an nullâ, vide eundem c. 20. f. 2.

## DUBIUM VI.

*Quid sit Ira.*

346. **R** Esp. Est inordinatus appetitus vindictæ: Quæ inordinatio, secundum D. Tho. dupliciter fieri potest, 1. Ex parte modi irascendi, ut v. g. si nimium interiùs exardescas, vel exercitiè per signa nimis patefacias. 2. Ex parte objecti, ut si vindictam appetas, p̄sæ injustam ob causam: vel si iusto majorem, v. g. optando inimico mortem, quam non est meritus; vel exequendam propriâ auctoritate; vel denique licet vindicta iusta sit, non tamen eam appetas ut iustam, sed ut satiativam animi tui malevoli. Unde resolves:
- 1. Si ordinatè appetatur vindicta, non est peccatum in se, ut cum Superiores irascuntur culpis subditorum, eosque puniunt, seu vindicant.
  - 2. Ira inordinata, primo modo antè dicto, est ex genere suo veniale: potest tamen fieri mortale ex accidente, ut si addatur blasphemia, maledictio, scandalum.
  - 3. Ira inordinata, secundo modo, est ex genere suo mortale, quia est directè contra charitatem. Baldell. l. 3. d. 21.
  - 4. De filiabus iræ, quæ partim sunt in corde, ut indignatio, & tumor mentis; partim in ore, ut clamor, blasphemia, contumelia, maledictio; partim in opere, ut rixæ, pugnæ, seditiones, vul-

nera )

vera, diversimode loquendum est, secundum regulam supra datam: Nam 1. Indignatio, quæ est inordinatus affectus ex eo, quod quis reputet se indignè à tali tractari, communiter est veniale: imò si ex iusto rationis iudicio procedat, nullum est. Posset tamen esse mortale, si cresceret usque ad deliberatum odium, & contemptum personæ gravem. 2. Tumor mentis, quo quis morosè excogitat diversas vias vindictæ, iisque cogitationibus animum tumefacit, quale peccatum sit, iudicandum est ex qualitate vindictæ, quæ excogitatur. V. Tol. l. 8. c. 58. 3. Clamor, cum iratus excolit vocem, multa inordinate & confuse effundens, est veniale communiter, nisi aliud addatur. 4. Blasphemia est mortale, de qua supra l. 3. t. 2. c. 7. 5. Contumelia, quâ quis proximo malum aliquod obicit, cum intentione illum inhonorandi, est ex genere suo mortale.

Dixi, animo inhonorandi, quia animo corrigendi, humiliandi, aliâve ratione, potest Superior verbum aliquod aliàs contumeliosum objicere; quomodo Christus vocavit Apostolos stultos; & Apostolus Galatas insensatos: In quo tamen peccari potest, si modus debitæ correctionis excedatur, vel subditus gravius dehonoretur, quàm per delictum meruit. V. Baldell d. 34. n. 16. Item, ut docet Cajet., potest contumelia esse venialis tantùm, si sit parva tantùm; vel si sit tantùm materialis, sine intentione dehonorendi, modò non sequatur læsio notabilis honoris proximi: Et sic excusantur, saltem à mortali, multi parentes, dum filios vocant asinos, &c. Item mulieres, pueri, & infimæ sortis homines, convitiis se onerantes: quia cum fides iis non ha-

beatur, non læditur graviter honor. V. Bon. 2. 3.  
 q. 2. p. 5. Denique si joci causâ, & per conveni-  
 entem recreationem, leves defectus objician-  
 tur, urbanitas est, secundùm D. Thom. 2. 2. q.  
 72. a. 2., dummodo alter non contristetur, nec  
 ad iram moveatur.

V. Contumelia etiam fit facto, tum indire-  
 ctè, ut si imaginem, vel literas alterius con-  
 culces, comburas; tum directè, ut si virum ho-  
 nestum fuste cædas, ad januam ejus cornua &c.  
 apponas; vel repræsentes aliquid, quod hono-  
 rem alterius lædat. Huc spectat subsannatio,  
 illusio, & derisio, quando fit signis, ut nasoru-  
 gato, labiis extensis &c. intendendo proximi  
 confusionem; quæ si sit gravis, vel saltim pro-  
 ximus eâ graviter contristetur, mortalia sunt,  
 Bon. Mol. Baldell. l. 3. d. 3. Sc. ex S. Thom. Circa  
 quæ Nota, Quod qui per contumeliam læsit al-  
 terius honorem, teneatur hunc restituere, et-  
 iam si fama non sit læsa: Hoc autem fieri potest,  
 vel per honorificam & amicam salutationem,  
 vel invitationem ad mensam, vel petitionem  
 veniæ, (etiam subinde flexis genibus, & coram  
 testibus) prout læsio fuit gravis. Lugo de pen. d.  
 15. nu. 53. Adde, quod contumeliæ mortalis  
 qualitatem in Confessione explicare, non sit  
 necessarium, ut contra Fill. Sc. docet Azor, Sa,  
 Molin. Lug. d. 16. n. 269.

VI. Maledictio, quæ quis optat, vel impreca-  
 tur alteri malum, sub ratione mali, est ex genere  
 suo mortalis.

VII. Rixæ, si modum non excedant, uti & le-  
 viculæ pugnæ, veniales sunt: secus, si progredi-  
 antur ad seditiones, vulnera, cædes: Suntque  
 hæc

hæc communiter peccata ex parte incipientis<sup>33</sup>  
 rixam; alter enim potest se defendere, cum mo-<sup>33</sup>  
 deramine inculpatæ tutæ.<sup>33</sup>

## DUBIUM VII.

*Quid sit Acedia.*

**R**esp. Acedia, sive animi tædium, potest ex D.<sup>33</sup>  
 Thom. 2. 2. q. 35. a. 2. dupliciter usupari, <sup>33</sup>  
 1. Generaliter, pro omni animi remissione in<sup>33</sup>  
 exercitio virtutum, eò quòd labor aliquis sit ad-<sup>33</sup>  
 junctus. 2. Particulariter, pro tristitia & tædio<sup>33</sup>  
 de divina amicitia, eò quòd per virtutum exer-<sup>33</sup>  
 citia laboriosa servari debeat, & sic amicitiam<sup>33</sup>  
 illam non curet. Unde resolvuntur: <sup>33</sup>

I. Acedia accepta primo modo, tum demum<sup>33</sup>  
 est peccatum mortale, cum ideo committitur<sup>33</sup>  
 opus vitium sub mortali. <sup>33</sup>

II. Acedia accepta secundo modo, ex se est<sup>33</sup>  
 mortale, quia repugnat charitati Dei. <sup>33</sup>

Ex quo de filiabus Acediæ quòque facile ju-<sup>33</sup>  
 dicari potest; quæ sunt sequentes: <sup>33</sup>

I. Malitia, quâ quia odio habet bona spiritua<sup>33</sup>  
 lia, & vellet ea non esse; aut quâ ipsum peccatet<sup>33</sup>  
 benefecisse, vel implevisse id, quod tenebatur;<sup>33</sup>  
 aut quâ contemnit Dei beneficium, v. g. deside-<sup>33</sup>  
 rando non fuisse natum, aut agnovisse Chri-<sup>33</sup>  
 stum &c. Est autem ex genere suo mortale. <sup>33</sup>

II. Pusillanimitas, & desperatio de salute,<sup>33</sup>  
 quæ mortale quòque est. <sup>33</sup>

III. Rancor, quo ii sunt fastidio, qui ad spiri-<sup>33</sup>  
 tualia inducunt. <sup>33</sup>

T 5

IV.

» IV. Torpor, cum bona fiant non cum debito  
» fervore.

» V. Evagatio mentis, quæ quis in exercitio spi-  
» ritualium evagatur circa illicita; sive per cogi-  
» tationem, & dicitur curiositas; sive per locu-  
» tionem, & dicitur verboritas; sive per inquietu-  
» dinem, & dicitur inquietudo; quæ commu-  
» niter sunt venialia. V. D. Thom. q. 35. Lay. l. 1.  
» c. 3. c. 9. Tol. l. 8. c. 70.

» Culpabilis autem evagatio mortalis erit,  
» quando notabilis est; & attentio requiritur ad  
» implendum præceptum obligans sub mortali;  
» v. g. in recitandis Horis canonicis, celebranda,  
» vel audienda Missa, Regim. Palauus t. 6. d. 1. p. 3.  
» Trull. l. 1. c. 6. d. 1. contra Tambur. de exped. sa-  
» cris. lib. 2. c. 3. ubi docet, distractum esse volun-  
» tatiè, & per notabile tempus inter sacrifican-  
» dum extra Canonem, esse tantum veniale; li-  
» cèt concedat, sub Canone, præsertim circa con-  
» secrationem, esse mortale, propter gravem ir-  
» reverentiam & periculum erroris.

» Dixi, ad implendum præceptum: nam in ora-  
» tione vel non præcepta, vel sub obligatione  
» tantum veniali, est peccatum veniale tantum. S.  
» Tho Nav. Less. l. 2. c. 37. d. 11. Imò nullum, si  
» non tam intendat orare, quam verba precum  
» recitando, pio exercitio se occupare, quia non  
» formaliter, sed materialiter tantum orat; v. g.  
» cum quis manibus laborans, psalmos, aliasve  
» preces recitat aut cantat, non animo orandi,  
» sed cavendi cogitationes vanas, vel recreandi  
» se. Sanch. conf. p. 2. l. 7. c. 2. d. 31. Trull. c. 7. d.  
» 10. V. suprà l. 4. c. 2. d. 2.

# INDEX RERUM.

Quæ in hoc Libro V. continentur.

*Numeri hic, sunt marginales.*

**A**cedia, quid sit. n. 347.

**A**ctus moralis in individuo, an detur. n. 317.

**A**dvertentia, quæ requiratur ad peccatum. V. *Peccatum Veniale.*

**E**qualitas & inæqualitas peccatorum. à n. 114.

**A**ppetitus naturalis, an licitè fruatur suis actibus. à n. 310.

**A**varitia, quid sit. n. 300.

**C**ogitatio voluntaria de objecto turpi, an semper sit peccatum. à n. 107.

**C**ommissionis & omissionis peccatum. n. 7. Per quid compleantur. à n. 27. An & quando specie vel numero distinguantur. à n. 139. An & quando omissiones specie distinguantur. à n. 180.

**C**oncupiscentia, quid sit. à n. 67. An sit peccatum. n. 73. An sit causa peccati. n. 72. An actus concupiscentiæ sine peccatum. n. 74.

**C**onsensus requisitus ad peccatum. V. *Peccatum Veniale.*

**C**ontemptus Legis, Legislatoris, virtutis &c. à n. 237.

**D**electatio, quomodo differat à desiderio. n. 66. Quænam dicatur morosa. n. 76. à n. 77. De quibus objectis sit illicita. n. 76. 81. 90. Quid si malitia intentionaliter separetur ab objecto. n. 80. Delectari de effectu bono secuto ex causa mala. n. 76. 91. An sponsi, vidui, conjuges licitè delectentur copulâ. 76. Delectatio de objecto secundum se non malo. n. 76. De objecto extrinsecè malo. n. 81. Sub conditione, si hoc objectum liceret. n. 82. De objecto intrinsecè malo, sub conditione, si liceret. à n. 82. De objecto in se malo, sed sine culpa facto. n. 89.

**F**aciens aliquid, unde orietur delectatio carnis. n.

76.

## INDEX RERUM

76. Quænam delectatio dicatur turpis, sensibilis, carnalis, venerea. à n. 92. Morosa de objecto venereo, an sit mortale. à n. 96. An in hac non detur parvitas materiæ. à n. 98. Permittens seu positivè non resistens delectationi turpi. n. 76. à n. 109. Delectatio sensuum, an quæri possit propter se à n. 310.
- Deliberans*, an velit peccare. n. 229.
- Desiderium peccandi*, quomodo differat à delectatione. n. 66. Quale sit peccatum. n. 66. Desiderium peccandi, sub conditione, si non esset malum, si liceret &c. n. 66. V. *Delectatio*.
- Distinctio specifica peccatorum*, quid sit. n. 118, 119. Quotuplex. n. 120. Unde desumatur diversa species Theologica. n. 113. à n. 121. Quandoam leges diversæ refuadant diversam speciem malitiam. à n. 132. *Distinctio specifica peccatorum commisionis & omissionis*. à n. 139. *Distinctio numerica*, sive multiplicatio, unde desumatur. n. 146. Quando fiat per interruptionem. n. 146. à n. 177. Quando per retractationem. n. 146. à n. 173. Quandoam unus physicè actus sit multiplex numero peccatum. n. 146. à n. 147. Quandoam plures physicè actus sint unum numero peccatum. n. 146. à n. 167 177.
- Ebrietas*, quid sit. n. 318. An formalis ebrietas fiat voluptatis causâ. n. 319. An nunquam sit licita. à n. 320. Quid si aliàs amittenda sit vita. à n. 322. Inebriare se tabaco &c. 326. Se inebriare ad breve tempus. n. 327. Exponere se periculo ebrietatis. n. 328. Qui inadvertenter se inebriat. n. 329. Potu causans in se podagram, dolorem capitis &c. n. 330. Qui alium inducit ad potandum. à n. 334. Non impediens alicuam ebrietatem. n. 334. Inebrians flutum vel puerum. n. 335. Tollens alicui appetitum potûs. n. 336. Propinare in sanitatem, haustum S.

## INDEX RERUM.

- S. Joannis &c. n. 337. Inebriare aliquem, ut veritatem fateatur. n. 338. 340. Ut eliciantur secreta. n. 339. Ut non peccet gravius. n. 343. Ut non sentiantur dolores; ut mors non timeatur. n. 344. 341. Inebriare custodes carceris. n. 342. Inebrians se sciens se solere tum damna causare aliis. n. 344. Ebrietas est hostis castitatis. n. 345. Ebrietatis signa & poenae. 345. An liceat sumere praeservativa ebrietatis. n. 336.
- Effectus peccati, an sit peccatum.* à n. 30. An sit moraliter aut ad culpam imputabilis à n. 41.
- Gula, quid sit, & quomodo per eam peccetur.* n. 308. 309. An sit gula, comedere sine necessitate. n. 309. An sit licitum intendere delectationem cibi vel potus. à n. 310.
- Ignorantia invincibilis Dei, an excuset à peccato.* à n. 15. Ignorantiae peccata. à n. 17.
- Imperfectiones committere, an sit peccatum.* à n. 211.
- Inaequalitas peccatorum, unde desumatur.* à n. 115.
- Infidelium actus omnes, an sint peccata.* n. 12. 186.
- Innocentiae seu justitiae originalis status.* n. 69.
- Inspirationes Dsi negligere, an sit peccatum.* à n. 211.
- Intentionis matutinae formula.* n. 317.
- Interruptio actus, quandonam numero multiplicet peccatum.* n. 146.
- Invidia, quid sit, & quomodo per eam peccetur.* à n. 303.
- Ira, quid sit.* n. 346.
- Judex inebrians reum, ut veritatem eliciat.* n. 338. 340.
- Leges, quandonam refundant diversam speciem malitiam in actum.* à n. 132.
- Libertas, qualis requiratur ad peccatum.* à n. 13.
- Luxuria, quid sit.* à n. 301. An in ea detur parvitas materiae, à n. 98.

*Malitia*



## INDEX RERUM.

- Malitia* objectiva & intrinseca, quibus infit. n. 48.  
*Mortale peccatum*. V. *Peccatum*. *Ventale*.  
*Natura puræ* status. n. 68.  
*Numerus*, numerica distinctio peccatorum. V. *Distinctio*. An numerus faciat veniale transire in mortale. à n. 284.  
*O. casto*, quæ dicatur proxima, quæ remota. à n. 252. Quomodo proxima fiat remota. n. 259. An licitum sit se exponere proxime, si ratione subjecti fiat remota. à n. 259. Quid si fieri non possit remota, & tamen sit moraliter impossibile eam vitare. n. 271. An sit obligatio fugiendi occasionem remotam. n. 272. V. *Periculum*.  
*Omissionis peccatum*. V. *Commissionis*. *Peccatum*.  
*Osculum* ob delectationem sensibilem. n. 106.  
*Peccare*, quis possit à n. 60. Quibus potentiis peccetur. à n. 62. An in somno. n. 65.  
*Peccatum*, quid sit. n. 1. 11. Quotuplex. à n. 2. Commissionis & omissionis. n. 7. Requisita ad peccatum. n. 1. Requisita ad mortale. n. 215. Voluntaritas requisita. à n. 30. Libertas. à n. 13. Advertentia ad legem Dei & malitiam objecti. à n. 15. n. 215. Ignorantia invincibilis Dei, an excuset à peccato formali. à n. 25. Peccatum Philosophicum. à n. 49. Consensus ad mortale requisitus. n. 215. In dubio de plena advertentia vel consensu. à n. 226. Quod inadvertenter ex consuetudine fit. n. 47. Quænam, etiam indeliberatè facta, retineant malitiam objectivam aut dicantur intrinsecè mala. n. 48. Materia gravis. n. 215. Peccatum internum, per quid compleatur externè. à n. 27. Effectus peccati, an sit peccatum. à n. 30. An saltem sit moraliter imputabilis ad culpam à n. 41. An omnia peccata sint æqualia. n. 114. à n. 184. Unde inæqualitas. à n. 115. Peccatorum distinctio. V. *Distinctio*

## INDEX RERUM.

- Distinctio.* Peccatum mortale & veniale. V. *Veniale.* An omnis actio non amantis Deum, aut hominis infidelis, sit peccatum. n. 12. An sit peccatum non referre omnes actiones ad Deum. à n. 208. An sit peccatum non obsequi inspirationibus, aut imperfectiones admittere. à n. 211.
- Periculum peccati, quid sit.* n. 252. 274. Quandonam sit materiale vel formale; proximum vel remotum. à n. 252. An licitum sit se exponere periculo certo, probabili, levi, peccandi formaliter à n. 256. Periculum debet esse prudens, ut vitari debeat. n. 275. Mercatura & militia de se non faciunt periculum proximum peccandi. n. 276. 277. Quid si removeri non possit periculum formale peccandi, & tamen sit moraliter impossibile illud evitare. à n. 271. 278. An censeatur esse periculum proximum, si puella procum admittat ad lectum. n. 281. Quid de choreis & frequentatione popinarum. n. 282. Expoere se periculo ebrietatis. n. 328. V. *Occasio.*
- Referre omnia ad Deum, an teneamur sub peccato. à n. 208.
- Religiosus non observans regulas sui ordinis, an peccet. n. 214.
- Retractatio actûs, quandonam numero multiplicet peccatum. n. 146.
- Scandalum; quomodo faciat veniale fieri mortale. n. 297. An peccet scandalum, qui alium inducit ad potandum. à n. 331.
- Specifica distinctio peccatorum. V. *Distinctio.*
- Status justitiæ originalis. n. 69. Puræ naturæ, an fuerit possibilis. n. 68.
- Superbia, quid & quale peccatum. n. 298. 299.

*Veniale*


## INDEX RERUM.


*Veniale & mortale peccatum.* n. 183. An dentur ex natura sua mortalia & venialia. à n. 184. Quænam sint de se mortalia & quænam venialia. à n. 198. Per quid differant mortale & veniale. à n. 206. Qualis advertentia requiratur ad mortale. à n. 15. n. 215. à n. 216. Qualis consensus. n. 215. à n. 217. Quid in dubio de plena advertentia vel consensu. à n. 226. Advertens esse malum, nec cogitans an mortale an veniale. n. 227. Sciens esse mortale, & abstrahens cujus speciei. n. 228. Qualis materia requiratur ad mortale. n. 215. à n. 230. Venialia omnia velle committere, an sit mortale. n. 288. Quomodo veniale fiat mortale ratione contemptus. n. 336. à n. 337. Ratione finis. n. 236. Ratione scandali. n. 236. Ratione periculi. à n. 252. Ratione numeri. à n. 284. Ratione unionis materialium. n. 215. à n. 289. Quomodo mortale fiat veniale defectu materiæ. à n. 230. An ideo fiat veniale, quia subito & transeunte committitur. n. 235. Quomodo veniale fiat mortale, aut mortale fiat veniale propter mutationem legis vel conscientiæ, propter malam comparationem animi, oppositionem ad aliam virtutem, scandalum. n. 297. 235.


*Voluntarium*, quale requiratur ad peccatum. à n. 30.


*Voluptas sensibilis*, an quæri possit propter seipsam. à n. 310.


## FINIS.
















LA CROIX  
THEOLOGIA  
MORALIS

5  
Th  
2403